AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN DER DDR
ZENTRALINSTITUT
FÜR ALTE GESCHICHTE UND ARCHÄOLOGIE

BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA



BSB B.G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1990

P. OVIDI NASONIS
EX PONTO
LIBRI QVATTVOR

RECENSVIT

J. A. RICHMOND



BSB B. G. TEUBNER VERLAGSGESELLSCHAFT
1990

Bibliotheca
scriptorum Graecorum et Romanorum
Teubneriana
ISSN 0233-1160
Redaktor: Günther Christian Hansen
Redaktor dieses Bandes: Günther Christian Hansen

ISBN 3-322-00669-7

1. Auflage
VLN 294/375/10/90 · LSV 0886
Lektor: Dr. phil. Elisabeth Schuhmann
Printed in the German Democratic Republic
Gesamtherstellung: INTERDRUCK Graphischer Großbetrieb
Leipzig III/18/97
Bestell-Nr. 666 505 9
03400

PARENTVM
OPTIMORVM
MEMORIAE

PRAEFATIO

DE CODICIBVS

(i) De codice Guelferbytano (G)

Codicum omnium, qui textum Ouidi Epistularum Ex Ponto datarum exhibent, longe uetustissimus est Guelferbytanus 13.11.Aug.4°, saeculo V exeunte unciali scriptura exaratus, qui uulgo signo **G**[1]) citatur. cuius codicis nunc duo tantum frustula lacera supersunt, quae aliquot uersus, quorum numeros mox indicabo, ita praestant, ut non nisi partim et difficillime legi possint[2]), quia non solum uetere scriptura eluta hae membranae primum textu scriptoris nesciocuius ecclesiastici inscriptae sunt, sed etiam postea decisae ut bibliopegis ad alios libros conligandos seruirent.

Tabula uersuum seruatorum

membranarum numeri	uersuum seruatorum numeri	partes seruatae
f. 1^{rv}	4, 12, 15–19	toti sed laceri
	41–44	
f. 2^{rv}	4, 9, 101–103	fines
	104	partim
	105–108	toti
	127–128	initia
	129	partim
	130–133	toti

Vt in tali re fit, haec fragmenta errores praebent aliunde ignotos ut 4,9,108 (*fato* pro *facto*); 132 (*miss* pro *misi*); 4,12,17 (*lati* pro *dilati*). cum aliqua codicum parte facientia contra reliquos ueras lectiones praebent alibi, ut 4, 12, 18 (*amor* **GBC** dett. nonnulli, *ager* dett. reliqui) et ibidem (*reddet*

1) Siglorum conspectus inuenietur p. XXXIV.
2) Imagines habent E. Chatelain, Paléographie des classiques latins, Parisiis 1884–1892, 2, pl. xcix, 2 et E. A. Lowe, Codices Latini Antiquiores ix, Oxonii 1959, 40 (no. 1377); cf. praeterea apographon quod O. Korn exhibet in editione sua, viii–ix (ibi tamen Kornium *TUENDO* [4, 12, 41] male pro *COLENDO* exscripsisse O. Güthling in editione, xxxviii, memorat).

GC dett. nonnulli, *reddit* **B** dett. reliqui). uno tantum loco (4,9,103) **G** habet lectionem cuius nec uestigium alii codices praebent, quamquam ceteri editores eam pro uera acceperunt: [*quamquam gloria n*]*on sit* (uix ueri simile est **G** *quamuis* loco *quamquam* habuisse). attamen haud scio an scriba uerbi modum ad posterioris aeui usum accommodauerit, praesertim cum nullo loco metro probetur Ouidius coniunctiuum cum *quamquam* usurpasse, nisi uno loco (4, 9, 19) ubi uim potentialem[3]) coniunctiui (*cuperem*) ex *gauderem* (4,9,20) ortam esse credere debemus. nam met. 14,465 et 15,244 sunt loci dubii; cf. praeterea apparatum criticum ad Pont. 3,5,9. at contra ex 43 locis, ubi Ouidius *quamquam* habet, 26 locis modus indicatiuus metro firmatur.[4]) horum igitur fragmentorum auctoritatem in dubio relinquere cogor, nec quicquam momenti ad textum constituendum conferre mihi uidentur. quae anno 1829 per opusculum C. P. C. Schoenmanni rei publicae litterarum primum innotuerunt.[5])

(ii) De codice Hamburgensi (A)

Reliquorum codicum ueterrimus et longe optimus est Hamburgensis Bibl. Uniu. scrin. 52 F, saeculo IX aut Parisiis aut in uicinitate exaratus et uulgo siglo **A** indicatus. casu lamentabili factum est ut nunc post 3,2,67 desinat.[6]) quod uero primi libri elegiam tertiam omittit, cum nonnulli codices ex recentiorum grege hoc poematium ad posteriorem locum amouerint[7]), suspicari licet et **A** eam non suo loco praebuisse. sui generis solus codex **A** esse his tribus testimoniis clare indicatur: primo quod nonnullas exhibet lacunas ubi reliqui codices supplementa interpolata inseruerunt[8]); deinde quod complures errores solus habet[9]); postremo quod interdum aut ueram lectionem, aut lectionem unde uerum eruere possis, solus seruauit.[10]) cum-

---

3) Cf. L.H.S. 2, 602.

4) Indicatiuus cum *quamuis* apud Ouidium sedecim locis, coniunctiuus undecim locis metro probatur.

5) Bibliothecae Augustae siue notitiarum et excerptorum codicum Wolfenbüttelensium specimen (Progr. Helmstedt).

6) Bibliopegae error a loco suo post 3,2,67 remouit uersus 2,1,46–2,7,79. codicem descripsit T. Brandis, Katalog der Handschriften der Staats- und Universitätsbibliothek VII, Hamburg 1972, 109–110.

7) Cf. apparatum criticum ad 1,3.

8) Cf. 1,2,10; 1,8,20; 2,2,33–34; 2,8,70; 3,1,143–144; 3,2,44; et tabulam p. XIV.

9) Exempli gratia *rogari* 1,7,42 (*relegari* cett.); *qua fecit* 2,2,68 (*quas fecit* cett.); *tuae* 2,4,11 (*tuis* **s**, *citae* cett.); *potest* 2,4,31 (*possit* cett.); cf. Tarrant 265.

10) E.g. *bato* 2,1,46 (rasura in **BC**, *tenet* **C** p.c., *fuit* cett.); *pictis* 2,1,38 (*ui*(*n*)*ctis* cett.); *uerear* 1,5,62 (*uereor* cett.); *si* 1,8,4 (*sit* cett.); praeterea *aeithali silua* 2,3,84, ubi *Aethalis Ilua* latet, et *coabit tibi de* 3,1,58 (sc. ex *coabit* $\overset{i}{t}$ *de* deriuatum), unde Merkel *Coa Bittide* eruit.

scriba codicis **A** lectiones, quae sensu omni careant[11]), et apertas lacunas in libro suo reliquerit nec in erroribus corrigendis ingenio suo usus esse deprendatur[12]), ex Nicolai Heinsii temporibus omnes editores se testem sincerum habere recte crediderunt. huius codicis aliquam notitiam in schedas Scaligeranas manauisse facile credas.[13]) primus Heinsius codicem contulit; deinde R. Merkel[14]), O. Korn, J. André aliique eum scrutati sunt, sed operae pretium esse duxi in imagunculis rursus sedulo conferendis. pauca **A**² corrigere conatus est.

(iii) De codicibus Monacensibus (**B** et **C**)

Duo codices Latini Monacenses, 384 (siglo **B** indicatus) et 19476 (siglo **C** notatus) ambo saeculo XII exarati, et auctoritate et uetustate codici **A** proximum locum sibi uindicant. ut Ehwaldii uerba Latine uertam, 'non solum eodem tempore in eadem patria sed fortasse in eodem monasterio orti sunt'.[15]) codex **C** anno 1804 ex monasterii Tegernseensis bibliotheca in Monacensem asportatus est[16]): de codicis **B** origine nihil constat. ambo elegias omnes continent. saepissime in erroribus quos soli habeant[17]) consentiunt et lectiones ueras aliunde ignotas praestant.[18]) post 3,2,67, unde codex **A** desinit, locum primarium in textu constituendo merito sibi adrogant.

Codicis **B** scriptura facillima est lectu, nisi quod passa est plurimas rasuras et correctiones et scribae ipsius et aliorum qui siglis **B**² et **B**³ distinguuntur.[19])

---

11) E. g. *inbelle peccata feramus* 1, 1, 31; *sit publicae saro terra* 1, 2, 99; *sublestate* 2, 5, 67.

12) Formae ut *gigans* 2,10,24, *thans* (sc. *Thoans*) 3,2,59 et fortasse *nancta* 2,11,20 me inducunt, ut suspicer scribam codicis **A** (aut exemplaris eius) orthographiam secundum grammaticorum praecepta correxisse. cf. G. P. Goold, HSCPh 69, 1965, 9.

13) De I. I. Scaligero et codice **A** cf. M. D. Reeve, RhM 117, 1974, 163–164 et Ehwald 31; de codice Ferrariensi quo Bersmanus usus est cf. infra p. XI. huic forsitan nescioquo modo codex **A** coniunctus sit.

14) In praefatione editionis suae (1850) iv–vi de codicis **A** indole disseruit R. Merkel; imaginem habet E. Chatelain (p. V n. 2) pl. c.

15) Ehwald 20. fragmentum saec. XI in Parisino lat. 2700 tam breue est ut tuto neglegi possit.

16) Olim 'Teg. 1476' ut in coperculo notatum est.

17) E. g. *quanta a te merui* 2, 8, 11; *latis* 2, 1, 23; *illa* 3, 1, 86 et apertas interpolationes, ut *occulta... humo* 2, 10, 28 et *opus hoc tibi suadet erato* 2, 9, 19.

18) E. g. *posita est* 2, 4, 7; *abigi* 2, 3, 37; *planus* 2, 7, 24 (ni fallor); et saepe post 3, 2, 67, ubi codex **A** non extat.

19) Et textum ipsum mutauerunt et uocabula aut supra lineam aut in margine addiderunt.

e quibus $\mathbf{B}^2$ plurimas lectiones ex deteriore traditionis familia intulit[20]), quo effecit ut saepius nesciamus quid **B** ipse scripserit. codicis **C** scriptura difficilior est lectu[21]), quae hic illic aut umore aut obtritu adeo euanuit, ut quid habuerit uix dignosci possit. hanc obscuritatem obscuriorem corrector $\mathbf{C}^2$ saepe reddidit. quamobrem de horum codicum scriptura dubitans interrogationum signa post lectiones eorum in apparatu critico ponere haud raro coactus sum.

Lacunas, quas in **A** scribam reliquisse docui[22]), scribae **B** et **C** isdem interpolationibus suppletas exhibent.[23]) haec supplementa, cum longe differant ab interpolationibus quas in codicibus deterioribus inuenimus, certiores nos faciunt codices **B** et **C** ex uno hyparchetypo fluxisse, quod textum traditum iam pridem interpolauerat.

Codicis **C** scriba, ubi exemplar suum intellegere non poterat, multo licentius quam scriba **B** ingenio uidetur indulsisse, quo euenit ut lectiones singulares et a ceteris codicibus dissimillimas hic illic in **C** legamus.[24]) at minus saepe quam $\mathbf{B}^2$ codicis **C** corrector ($\mathbf{C}^2$) deteriorum lectiones in usum suum mutuatus est.

Hi duo codices uidentur posteriorum codicum scribis ignoti fuisse. codice **B** T. C. Harlesius[25]) primus usus est. codicem **C** O. Korn, postquam editionem suam anno 1868 diuulgauit, e latebris extraxit, et lectiones eius publici iuris fecit.[26]) F. W. Lenz et J. André codices rursus contulerunt, quibus uiris doctis in locis obscurioribus confidere dubitanter coactus sum, cum imagunculae, quas summa cura scrutatus sum, interdum obscuriores essent, quam ut legere uel manus uarias discernere potuerim.

---

20) Cf. 1, 5, 7 *ducendi* **AB**(?)**C**(?), *dicendi* **B** (p. c.) **ebls**; 1, 7, 8 *habere* **ABC**, *abesse* $\mathbf{B}^2$ **leebl**; 1, 8, 27 *sty/igias* **ABCs**, *scy/it(h)icas* **B** (p. c.) **leebl**.

21) Cf. Lenz in editione (1938) xxix; 'literae ipsae... neglegentissime pictae', Korn (1874) 4.

22) Cf. p. VI n. 8.

23) **C** tamen lacunam 1, 2, 10 non expleuit; cf. conspectum p. XIV.

24) E. g. 3, 3, 97 *fuscatur* **C**, *mutatur* cett.; 3, 3, 91 *numen* **Cvb**, *tempus* cett.; 4, 14, 38 *acteue* **C**, *actaue* **Ble**, *actaque* **ebl**; 4, 15, 31 *colloquio* **C**, *uerum quid* cett. praeterea cf. e. g. 1, 2, 55 *liquefiunt* **AB**, *liquescunt* **C** cett. hic illic codex **C**, seu traditione seu coniectura, solus aut paene solus ueram lectionem seruasse uidetur, ut 1, 1, 66 *Vt* $\mathbf{C}^v$ **d**; 2, 2, 13 *tydid(a)e* **C** dett. nonnulli; 3, 2, 23 *signentque* **Cp**; 4, 14, 15 *suscensent* **C**.

25) Codicem descripsit in editione xi; secundum Owen (1894, xx) 'nuperrime C. Schenkelius contulit, qui O. Guethlingium de codice accuratius edocuit'. unde haec didicerit, nescio: nihil in Güthlingii editione de collatione a Schenkelio facta uideo.

26) Codicis **B** (3–4) breuem notitiam diuulgauit in programmate anni 1874; codicem **C** exhibuit (4–5) et multas lectiones ex eo protulit (6–13).

(iv) De codicibus deterioribus
(a) De codicibus quos semper adhibui

Iam inde ab eodem duodecimo saeculo usque ad quintum decimum multi codices exarati sunt quorum complures etiam nunc supersunt. qui mihi innotuerunt in codicum catalogo infra p. XXIV–XXVIII nominantur. hi codices, ut fit, in certas familias distribui nullo modo possunt, quia harum elegiarum textus passim per magnam Europae partem in scholis legebantur, et lectores scribaeque, qui ipsi uersus Latinos componere solebant, non modo aliorum exemplarium lectiones in suos codices transferebant, sed etiam suo Marte, sicubi errores latere credebant, textum emendare conabantur. glossas quoque adscribebant, quae saepe in textum irrepserunt. quo fit ut unus quisque deteriorum copiam magnam uariarum lectionum, quarum paucae tantum dignae sint memoratu, editori praebeant. praeterea bene sciebam, quo plures codices in apparatum meum conferrem, eo plures errores me inuitum inducturum esse. quae cum ita sint, statui tres tantum e deterioribus eligere, quorum lectiones in locis dubiis numquam neglegerem, ita ut quoddam traditionis schema lectoribus appareat. nec tamen omisi reliquorum codicum lectiones, siquando ipsae mihi uidebantur esse digniores, quae aut textus traditi difficultates indicarent aut uiam ad uerum indagandum monstrarent.

Contuli igitur Lentiensem 329, saeculi XII (**le**), numquam antea adhibitum in his elegiis edendis, et Etonensem 91, saeculi XIII (**e**), ab Heinsio et ab S. G. Owen iam inuestigatum[27]), et Berolinensem Hamilt. 371, saeculi XIV (**bl**), quo nemo, quod sciam, adhuc usus est.[28])

Lentiensis 329 quondam latebat in Monasterii Garstenensis bibliotheca.[29]) ut ceteri deteriores textum habet interpolationibus inquinatum, sed bis cum **A** uel **As** contra reliquos stat (quod fortasse mero casui tribuendum est), saepe errores aliunde ignotos praestat.[30]) Etonensem 91 Lentiensi multo magis et aliorum et suis ipsius erroribus corruptum[31]) nihilominus hic illic aut

27) Heinsius contulerat Etonensem sub nomine Codicis Iuniani (possidebat eum P. Iunianus [Young, 1584–1652]). Lenz, cum hunc eundem atque Etonensem esse non intellexisset, lectiones eius sub utroque nomine adtulit.

28) Codices Francogallicos Britannicos Italicosque editores iam magna ex parte exhauserunt: duos Germanicos nondum collatos adhibui. in Hispania fortasse aliquid momenti adhuc latet.

29) Garsten olim erat uicus prope ab oppido quod hodie Steyr (in Austria superiore situm) appellatur.

30) E. g. 1, 1, 77 *credent* **Ale**; 2, 10, 43 *cum* **Ales** (de **s** cf. p. X); 1, 2, 91 *at potuit* **le** solus; 2, 2, 59 *tractabile* **le** solus (quod sciam).

31) Saepissime errores in **e** ex interpolatione ortos silentio praetermisi, ut 2, 2, 58 *hoc non tractari* **e**; 2, 3, 70 *oculos* **e** (cf. apparatum criticum ad 3, 2, 7).

solum aut cum paucis aliis uerum seruasse confido.[32]) interdum cum **A**, interdum cum **B** uel **C** facit[33]), unde suspicari licet exemplar eius cum aliis codicibus diligenter comparatum fuisse. scriba minutissimis litteris usus est quas distinguere haud raro uix possis. imaginibus usus ipsum codicem locis dubiis inspexi. Berolinensem Hamilt. 371, quamquam compluribus scatet erroribus qui et in aliis multis inueniuntur, tamen conferendum duxi, quia scriba ipse plurimas uarias lectiones textui adscripsit, quo fit ut hic codex unus multorum sit instar.[34])

His tribus codicibus adhuc superstitibus quartum nunc deperditum – Argentoratensem Semin. euang. c.v. 27, saec. XIII in. ut uidetur (**s**), dico – addere statui.[35]) lectiones eius seruauerunt Heinsius et O. Korn, qui felici casu in editionis suae usum eum codicem adhibuit paucis annis ante, quam in Argentorati obsidione anno 1870 igni periit. desiit post 3, 5, 34. textum primarium cum **A** artius coniunctum fuisse suspicari licet, quod interdum cum **A** lectiones aliunde ignotas exhibebat[36]); sed alius scriba, cuius correctiones, ni fallor, neque Heinsius neque Korn semper debita cura indicauit, non paucas lectiones futtiles importauit.[37]) quae cum ita sint et ego et ceteri huius aetatis editores hunc codicem haudquaquam spernendum duximus.

His igitur septem codicibus prae ceteris textus meus nititur. haud raro tamen, ubi omnes codices, quorum supra mentionem feci, errores praebent, necesse est ad reliquorum lectiones confugere.

---

32) Hos locos Owen (1915, vii) indicauit: 2, 5, 52 *decens*; 2, 10, 18 *sequamur*; 2, 10, 22 *uisa*; 4, 16, 31 *uarius* (adde 2, 4, 2 *dubitande*). de 2, 10, 22 et 4, 16, 31 aliter sentio quam Owen: credo lectiones in **e** falsas esse. quod ad 2, 10, 18 attinet, scriba suo Marte, ut (ni fallor) postea Georgius Fabricius, *sequamur* ex contextu potuit reponere. at 2, 5, 52 *decens* neminem ex coniectura scripturum fuisse puto, nisi *amicus* in *amictus* mutandum sensisset. at archetypum iam *amicus* habuit, unde manifestum est fieri uix posse ut *decens* in **e** ex coniectura ortum sit. nisi igitur mero errore exstitit (nam *O* et *E* in scriptura unciali haud dissimiles erant), in ipso archetypo fuit. ipsum locum in codice **e** cum Paulo Quarrie, bibliothecario humanissimo, inspexi, quia prior littera *e* subobscura est. ambo tamen credimus *e* recte legi. Heinsius *decens* uidit in tribus aliis codicibus, ex quibus ipse **od** inspexi, ubi procul dubio *decens* uidi.

33) Cf. 2, 9, 26 *cadat* **Ae**; 3, 1, 60 *paruis* **Ae** et 2, 4, 16 *recentis* **BCe**; 3, 2, 86 *uices* **BCe**.

34) E.g. 2, 8, 70 *uestraque signa* **bl** (cum **B**), *uos mea signa* **bl**ᵛ (cum **les**), *uos ego signa* **bl**ᵛ (cum **lv**) et 2, 4, 16 *regentis* **bl** (cum **Asbadgφ**), *morientis* **bl**ᵛ (cum **le**).

35) Codicem descripsit O. Korn in editione sua, xvi–xix. nisi expressis uerbis aut signo interrogationis addito nihil de codicis **s** lectionibus ex Kornii silentio addere ausus sum.

36) Cum **A** facit contra reliquos e. g. 1, 5, 6 *capeant*; 3, 1, 114 *et*; 2, 1, 63 *tunc*; 3, 1, 148 *sollicites in*.

37) Cf. 2, 2, 35 *anas* contra metrum; 2, 9, 21 *decus*; 2, 7, 24 *numeris*; 2, 6, 38 *alterno*; et alias lectiones, quas ipsi scribae fortasse interpolauerint.

(b) De ceteris deterioribus

Ex tot milibus uariarum lectionum per ceteros deteriores codices dispersis in apparatu meo exhibeo non solum eas, paucas quidem, sed quae uerae uideantur esse uel uiam ad uerum ducentem monstrent, sed etiam nonnullas, quae traditionis naturam uel textus historiam illustrent. quas ex illis in textum accepi, paene ubique ex scribarum lectorumque coniecturis ortae sunt. nec mirum: cum tot grammatici inde ab aetate Ouidiana, ut uocatur, acumina sua in textu corrigendo exercuerint, fieri non potest, quin aliquando pauca uulnera sanauerint. ex magna ceterorum codicum caterua nonnullos aut quibus priores editores maxime confidebant, aut quos aliam ob causam insigniores esse duco, infra breuissime indicabo.

Editio princeps Romana anni 1471 uidetur aliquatenus ex Laurentiano 36,2, saec. XV (**mb**), pendere, si modo Lenzius res recte uidit.[38]) qui codex parui pretii est.

Andreas Naugerius in editione Aldina anni 1516 nonnullos locos ex codicibus adhuc ignotis feliciter correxit.

Item Georgius Fabricius in usum editionis anno 1582 emissae duobus codicibus usus est, quos nemo adhuc detexit.[39])

Nonnullos codices Gregorius Bersman consuluit in usum editionis suae anno 1619[40]) impressae, ex quibus quidam Ferrariensis, quamquam interpolationibus admodum corruptus, interdum aut cum **A** consentit aut alias lectiones bonas offert. quem nondum a uiris doctis inuentum siglo **be** indicaui.

Excerpta Scaligerana adhuc Berolini exstant, quae et lectiones ex uetere codice quodam haustas et ipsius Scaligeri coniecturas exhibent. constat inter doctos haec excerpta (quae interdum sub siglo **sc** memoraui) aut **A** aut codicem codicis **A** similem expilasse.[41])

Nicolaus Heinsius, uir eximiis laudibus dignus, circiter quadraginta codi-

---

38) Cf. editionem Lenzianam (xlvi–xlvii).

39) Cf. 390 'manuscriptum autem unum, quo plerumque nitimur et quod antiquissimum est Patauii nacti sumus; alterum mihi a fratre Blasio qui nunc in Alsatia Busuiletae docet bonas literas communicatum est.'

40) Sic Korn in editione (xxi) et alii editores. librum iam anno 1582, deinde saepius emissum in 'recensione noua' anni 1606 inspexi, ubi Bersmanus (6) loquitur de lectionibus, quas in margine exscripsit 'ex codice manuscripto quem Ferraria nobiscum attulimus'. de hoc codice nihil in praefatione editionis anni 1582 dixit. solus cum **A** habet nonnullas lectiones falsas ut 1, 6, 23 *qualiacum/nque* (unde uerum elici potest); 2, 7, 35 *qua*; 3, 1, 2 *caret*.

41) R. Ehwald (31–39) demonstrauit Scaligerum complurium codicum, inter quos erant **A** et **p**, lectiones in margine editionis Gryphianae (1546), quae nunc Berolini seruatur, exscripsisse et suas coniecturas addidisse. cf. p. VII n. 13.

ces contulit.[42]) praeter eos, de quibus supra dixi, Antuerpiensem Mus. Plant. D 68, saec. XII–XIII ('Moretianum') (**n**), Parisinum lat. 7993, saec. XIII ('Regium') (**p**), Parisinum lat. 8239, saec. XIII ('Puteanum') (**pp**), Laurentianum 36, 32, saec. XIII in. ('Mediceum primum') (**m**), Guelferbytanum Gud. 228, saec. XIII ('Rottendorphianum') (**g**) saepe laudat. hi enim codices multis erroribus foedati primo obtutu multum adiuuare uidebantur. at cum primum traditio a R. Merkelio[43]) *κριτικώτερον* exponi coepta est, uiri docti hos codices minoris momenti esse intellexerunt.

T. C. Harlesius in editionem anni 1772 Erfurtani nunc quidem latentis (saec. XIII–XIV?) (**er**) lectiones adhibuit[44]), quae saepe cum lectionibus Lipsiensis Bibl. Ciu. Rep. I. 2°. 7, saec. XIII (**l**), consentiunt. Lipsiensem primus contulit O. Korn in editionem anni 1868.[45])

R. Ehwald Gothanus in apparatu editionis quam curauit F. W. Levy anno 1922 locum insignem dedit Gothano membr. II 121 (saec. XIII) (**d**), quem codicem quasi ducem esse deteriorum credebant Lenz[46]) et André.[47]) est codex haud abiciendus, sed quod in eo boni est alibi inueniri potest, et praeterea, ni fallor, non modo multitudine malarum coniecturarum laborat, sed etiam compluribus locis scriba textum paene nulla causa mutauit.

---

42) Codicum, quibus usus est N. Heinsius, conspectum p. XXIX infra imprimendum curaui. collationes ab eo factae partim Oxonii partim Berolini seruantur. siquando Burmannus codicum nomina celauit, ea ex libris Oxoniensibus quaesiui: hic illic non repperi, unde probabile fit paucissimas lectiones, quas ψ signo notaui, adhuc in libris Berolinensibus latere. ex Heinsii silentio codicum lectiones hariolando inferre nolui, nisi perraro ubi hoc expressis uerbis indicaui. qui licet in paucissimis quisquiliis errauerit, confitendum est nos eius diligentiam facilius admirari quam imitari posse. Burmannus et Francofurtano Ms. Barth. 110 (**fr**) et codice P. Danielis (nunc Berolinensi Diez. B Sant. 26) (**bh**) usus est. illius lectiones ex collatione ab Heinsio facta accepit (Merkel in Tristium et Ibidis editione anni 1837, xv), hunc fortasse ipse contulit, nam nomen suum in prima pagina scripsit.

43) Admodum inter se editiones annorum 1850 et 1884 differunt.

44) Herulius quidam, professor Erfurtanus, in Harlesii usum codicem contulit, cf. editionis Harlesianae p. xii.

45) Cf. Lenz in editione (lxi) 'ego denuo contuli IV 14, 52–16'

46) Cf. Ehwald (26) 'die Vulgata, für die ich als einen klassischen ... Zeugen den Cod. Goth. saec. xii anführe...' et Lenz ed. (xxxvi) 'ex apparatus unaquaque columna eum modo cum **A** modo cum **BC** modo cum **S**' [**s** in meis siglis] 'non minus facere quam ab his recedere deteriorum gregis quasi ducem (cf. ad I 1, 4 et 13) celeriter perspicies. ... scripturis a ceterorum discrepantibus fidem negare praestabit, nisi potentissimis argumentis ex interpretatione depromptis aliter iudicare cogeris, id quod nusquam fere tibi obtinget.'

47) Postquam **ABCdts** enumerauit et breuiter descripsit, hoc asseuerat (xliii): 'Tels sont les manuscrits sur lesquels se fonde essentiellement une édition des Pontiques'.

S. G. Owen[48]) contulit praeter Etonensem, de quo supra dixi p. IX, duos saeculi XIII: Holkhamicum (**h**) – nunc Londiniensem Add. Mss. 49 368 – et Oxoniensem Bodl. Canonic. class. lat. 1 (**o**). hi interdum bonas coniecturas offerunt.

F. W. Lenz (qui antea Levy appellabatur), in editionem, quam anno 1938 emisit, lectiones Vaticani Barb. lat. 26, saec. XIII (**v**), quem Heinsius sub nomine 'Barberini' iam contulerat, sedula cura congessit.[49]) et hic codex magnam coniecturarum turbam, praecipue a secunda manu additam, habet, quae non omnes spernendae. Lenz praeterea Florilegii Gallici (**φ**) tres codices excussit, uidelicet Atrebatensem 64, saec. XIV, Parisinum lat. 17 903, saec. XIII, Paris. lat. 7647, saec. XII, ex quibus, si quid in his rebus dispicere possum, paene nihil utilitatis eruere uir doctus potuit. excerptores enim saepe textum mutauerunt, quo magis idoneus esset, qui intellegeretur a lectoribus nullum contextum habentibus, neque uidentur codices nostris meliores adisse.[50])

J. André in editionem suam anni 1977 Turonensem 879 (anno circiter 1200 scriptum) (**t**) diligenter contulit: uix quicquam boni traditum habet, sed coniecturas ueri similes continet haud paucas.[51])

In codicum catalogo (p. XXIV sqq.) indicaui codices, quos inspexi quique haud digni esse, qui toti conferrentur, mihi quidem uidebantur. fortasse inter ceteros alius editor thesaurum abditum inueniet: mihi tempus ad plures examinandos defuit.

DE CODICVM ARCHETYPO

Ex lacunarum interpolationumque tabula, quam infra imprimi iussi, lectoribus statim elucebit codices in tres familias distribui posse: **A** et **BC** et deteriores. quarum omnium consensus siue in ueritate siue in errore archetypi textum indicabit. sed cum **A** et **BC**, **A** et dett., **BC** et dett. inuicem consentiant in erroribus, nullum stemma aut duplex aut triplex, quod indicet quo-

---

48) Hos in usum editionis anni 1894 iam adhibuerat (xx), neque alios ad editionem anni 1915 parandam excussit.

49) Cf. editionem Lenzianam (xli–xliii), ubi de uariis lectionibus et glossis a secunda manu additis editor disserit, et tertiam manum ipsius N. Heinsii esse suspicatur.

50) Conspectum uersuum, qui in Florilegii codicibus traditi sunt, habet Lenz (lxviii–lxxii). praeterea memorat nonnullos locos, quos Vincentius Bellouacensis ex florilegio quodam exscripserat, a Kornio in apparatu suo indicatos (lvii–lix).

51) Codicem Turonensem 879, qui nullo modo in Tristibus uel in Ibide edendis neglegi debeat, quod ad Epistulas ex Ponto attinet iam spreuerat Lenz (xliii–xliv).

modo codices inter se conexi sint, procul dubio demonstrari potest.[52]) inspice sis conspectum uariarum lectionum infra.

Conspectus lacunarum interpolationumque

uersus	codices										
	A	**B**	**C**	**le**	**e**	**bl**	**s**	**d**	**er**	**l**	**t**
1, 2, 10	*	a	*	bca	acb	acb	acb	acb	acb	adb	acb
1, 8, 20	*	a	a	b	b	b	b	b	b	b	b
{ 2, 2, 33–34	ad	*	*	be	be	be	be	be	be	be	be }
{ 2, 2, 34a–b	*	*	*	*	*	cd	*	cd	cd	cd	* }
2, 8, 70	*	a	a	b	f	c	b	e	g	d	e
3, 1, 143–144	*	a	a	b	b	b	b	b	b	b	b
3, 2, 44	*	a	a	b	c	d	e	f	b	b	f
3, 4, 46	–	a	a	a	b	a	a	b	a (?)	a	a
4, 3, 44	–	*	*	a	a	a	–	a	a (?)	a	a

a, b, c... uarietates quae in codicibus leguntur
* codex nihil habet
– codex hic deficit (lectiones codicis **er** partim ex Herulii silentio pendent)

Huiusmodi tabulam iam composuit J. André (xliii).

Conspectus uariarum lectionum
ex codicibus A, B, C, dett. desumptarum

uersus	codices			
	A	**B**	**C**	dett. omnes uel paene omnes
1, 2, 21	**uelata**	uallata	uallata	*uallata
1, 4, 42	***amor**	**amor**	**amor**	amans
1, 5, 22	**atho**	**atho**	**atho**	athos
1, 8, 47	***ubi**	ibi	ibi	ibi
2, 1, 23	**uastis**	latis	latis	**uastis**
2, 1, 38	**pictis**	uictis	uictis	*uictis
2, 2, 5	quid	quid	qđ (*i.e.* **quod**)	si *uel* quid
ibid.	ullius	illius	illius	**uultus**
2, 2, 32	**euentu**	**euentu**	**euentu**	euentus
2, 2, 73	**nurum**	**nurum**	nuros	**nurum** *uel* *nurus
2, 3, 37	abici	**abigi**	**abigi**	abici

52) Cf. 'errores coniunctiuos' ut Pauli Maas uerbis utar (Textkritik, Leipzig 1957, 27), quibus **AB** uel **AC** uel **BC** conexi sunt secundum Tarrant 265. quae praeterea Lenz in editionis praefatione (xxiv–xxvii) attulit exempla paulo infirmiora esse mihi uidentur.

2, 3, 87	(*om.*)	**dubie** (?)	***dubie**	medius
2, 4, 7	tua est	**posita est**	**posita est**	(*aliae lectiones*)
2, 5, 67	sublestate	ubi est a te	ubi est a te	*(*aliae lectiones*)
ibid.	**gustata**	gestata	gestata	gestata
2, 7, 24	planis	**planus**	**planus**	*(*aliae lectiones*)
2, 7, 55	**horruerit**	obruerit	obruerit	*obruerit/-et
2, 8, 11	(*uarietas I*)	(*uarietas II*)	(*uarietas II*)	(*uarietas III*)
2, 10, 22	**nota**	uisa	**nota**	**nota** *uel* uisa
3, 1, 15	*tenens	uides *corr. in* **tenes**	**tenes**	**tenes** *uel* uides
3, 1, 113	(*uarietas I*)	(*uarietas II*)	(*interpolatio*)	(*uarietas II*)

Asterisco indicaui lectiones quae et in **s** legebantur, crassis litteris lectiones, quae mihi uerae uidentur.

DE ORTHOGRAPHIA

Meros errores silentio correxi (ut *bracchia* scripsi loco *brachia*, quam tamen formam **A B C** ubique praestant). de nonnullis quaestionibus infra breuiter disputabo.

(i) De casibus accusatiuis tertiae declinationis in *-is* desinentibus

Hae formae in codicibus **A B C** his locis traduntur:

(a) participia

(1) ubi **A** extat: 1,6,39 *ligantis* **A**; 1,8,51 *pendentis* **A** (*prudentis* **C**); 1,9,9 *carentis* **C** (*-tes* **B** ex corr.); 2,2,83 *tenentis* **AB**[1] **C**; 2,3,83 *cadentis* **C** (obscure); 2,8,40 *?triumphantis* **AC**; 2,8,52 *praesentis* **A**; 3,1,92 *pugnantis* **A**; 3,1,108 *instantis* **A**.

(2) ubi **A** non extat: 3, 3, 59 (*ferientes*); 4, 8, 59 (*adfectantes*); 4, 9, 35 (*praesentes*); 4,10,17 *cantantis* **B**; 4,12,30 *albentis* **B**.

Tutius igitur esse duxi formas participiorum in *-is* ubique restituere.

(b) nomina

(1) substantiua: *auris* 2,4,13 **A**; 2,9,25 **A** (octies *aures*); *fascis* 4,9,4 **B**[1] **C** (*fasces* 4,9,42); (? *hostis* 2,1,44 **AC**) (locus obscurus); *gentis* 4,9,77 **C** (ter *gentes*); *partis* 1,4,23 **A**; 3,1,42 **A**; 4,9,7 **C** (cf. *patris* **A** 2,4,4; semel *partes* 4,2,27); *rudentis* 4,9,73 **B** (obscurum); *sortis* 3,1,131 **A**; *Syrtis* 4,14,9 **B**; *turris* 1,6,51 **A**.

(2) adiectiua: *grauis* 1,7,52 **AC**; *inertis* 2,9,61 **A**; *mitis* 2,1,48 **A** (*mites* 4,14,48); *mortalis* 3,1,150 **A**; *talis* 1,5,11 **A** (*tales* 3,2,38); *omnis*: interdum *omnis* interdum *o̅m̅s̅* aut *ōnis* (quae facillime inter se confundi possunt) scribitur. *o̅m̅s̅* interdum *omnes* significat (cf. W.M. Lindsay, Notae Latinae 160). quae cum ita sint, *omnis* his locis extare uidetur: 2,3,81 **AB**; 3,1,163 **AB**; 3,3,61 **BC**; 4,7,51 **B**; 4,10,57 **BC**, *omnes* tamen 4,4,33.

His omnibus rebus perpensis statui formas in *-is* traditas seruare, quamquam nihil sine codicum auctoritate mutare ausus sum.

(ii) De uerbis cum praepositionibus compositis

Mire uariant codices (aut **A** [ubi extat] aut **B** [**A** deficiente] tantum laudaui):
assueuit 3,1,91 **A**; *adsueta* 1,2,117 **A**; 1,5,36 **A**; *adsuetas* 1,8,56 **A**. formas in *ass-* habet **B**: 1,3,41 (bis); 3,7,17; 3,3,107.
inposuisse 2,1,32 **A**; *imposuisse* 2,9,70 **A**; *imposita* 3,1,43 **A**; *imposito* 3,1,161 **A**. formas in *inp-* habet **B**: 4,2,28; 4,7,48; 4,8,82; 4,14,56.
supponere 2,3,39 **A**; *supposuisse* 2,6,14 **A**; *subpositus* 2,10,24 **A**; *supposito* 3,8,12 **A**. praeterea cf. *alloquio* 1,6,18 **A**; 3,6,40 **B** sed *conloquium/o* 1,4,54 **A**; 2,4,1 **A**.

Ex uariis lectionibus 2,7,55 (*horruerit* **A**, *obruerit/-et* cett.) suspicari licet scribas saepissime formas assimulatas in formas dissimulatas commutasse. praeterea formas ambiguas ut *ĭpius* et *cõmilitii* saepe in codicibus inuenimus. itaque hic illic formas in codicibus traditas ad unam normam cautissime redegi.

(iii) De uocabulis miscellaneis

ecquando, ecquis et similia: in codicibus formae *et quando, et quis* saepissime traduntur, quas semper fere silentio correxi.
Gigas: gigans **A** (2,10,24) (cf. *thans* **A** 3,2,59), quam formam grammaticum quendam inseruisse credo.
hiems: forma *hiemps* traditur in **A** (1,2,24) et **B** (4,10,32 et 38) fortasse recte. at cum ipse **A** habeat *hiems* 1,2,26 et 1,7,12, hanc formam ubique scripsi.
incolumis scripsi: cf. *incolomi* **A** (2,2,69); *incolumi* **B**, *incoloma* **C** (4,14,51).
monimenta potius quam *monumenta* semper scripsi: codices uariant.
nancta: hanc formam cum **A** (2,11,20) dubitanter seruaui, cf. N.-W. 3,571–574.
naua, non *gnaua*, propter etymologiam a *'naue'* ductam (Fest. 168) scripsi cum **ABCs** (1,10,12).
numquam et *umquam* ubique scripsi.
pinna et *penna*: de his uocabulis cum uariet codicum testimonium sic

	pinna	penna
1, 5, 72	**A**	**BC**
2, 2, 33		**ABC**
2, 7, 27	**A**	**BC**
3, 3, 9	**C**	**B**
3, 3, 18	**C**	**B**
3, 3, 78		**BC**
4, 4, 12	**C**	**B**
4, 7, 37	**C**	**B**

cum Merkelio *pinna* ubique scripsi.
pulcher sed *sepulcrum* (cf. Cic. orat. 160) scripsi.
quicquam, ut codices saepe, scripsi, cf. N.-W. 2,505.
quidquid, ut codices interdum, scripsi, cf. N.-W. 2,509.
quoi semel scripsi secutus uestigia in codicibus seruata, 2,3,76.
sepulcrum, cf. *pulcher* supra.
tingere: tingere **AC**, *tinguere* **B** (2,9,56), *tinguitur* **BC** (3,8,8): *tingere* scripsi.
tum et *tunc*: librarii saepissime formas *tum* (*tũ*) et *tunc* (*tñ*) mutabant. forma *tunc* me-

tro firmatur his locis: 1, 6, 15; 3, 2, 27; 4, 8, 29; 4, 9, 38. ante gutturales traditur *tunc* 1,2,95 (*tunc quoque* **ABCleebl**) et 1,5,85 (*tunc cum* **ABCleebl**); at cf. 4,16,4 (*tum quoque cum* **BClebl**), et quae dixerunt uu. dd. D. E. W. Wormell et E. Courtney in huius Bibliothecae Teubnerianae Fastorum editione (1978), XVI; nota etiam uarietatem codicum (e.g.) trist. 3, 10, 67 et 3, 11, 27.
ung(u)ere: ungere **A** (1, 9, 47), sed *unguere* propter *unguenta* (1, 9, 53) scripsi.

DE ELEGIARVM TITVLIS

Codices **AB** et nonnulli ex deterioribus singulis elegiis praefixerunt nomina eorum, ad quos Ouidius opuscula sua misit. hos titulos codicum scribas ex ipsis elegiis suppleuisse credo, neque in apparatum, nedum in textum, admisi. attamen in margine titulos adponendos curaui, ut lectoribus indicarent quo loco una quaeque elegia inueniri posset. scriba codicis **C**, cum nullos titulos adpinxerit, fortasse reliquit hoc munus rubricatori, qui nusquam in hoc codice singularum elegiarum litteras initiales addidit. nihil igitur de codice **C** in conspectu titulorum libri primi, ut infra exposui, inuenies. nisi omnino fallor, alius scriba, ac qui textum codicis **B** exarauit, titulos in **B** addidit.

Conspectus titulorum
qui elegiis libri primi praefixi sunt

1, 1 *om.* **Aebl** ad brutum **B** (*secundum editores, ego in imaguncula dispicere nequeo*) **led** ad b***** **s**
1,2 maximo (*post 1, 1, 80 in eodem uersu*) **AB** ad maximum **le** (*post 1, 1, 80 in eodem uersu*) **sd** *om.* **ebl**
1,2,67 *om.* **Aleebld** maximo (*post 1, 2, 66 in eodem uersu*) **B** (*nouam elegiam incipiunt* **BCap**)
1,3 **A** *deficit* rufino (*post 1,2,150 in eodem uersu*) **B** ad rufinum **le** (*i. m. post 3, 1, 166*) **sdm** *om.* **ebl**
1, 4 *om.* **A** (*spatio uacuo relicto*) **ebl** ad uxorem **B** (*i. m.*) **d m** ad amicam (*post 1, 2, 150 in eodem uersu*) **le** ad coniugem **s**
1,5 maximo (*post 1, 4, 58 in eodem uersu*) **AB** ad maximum **le** (*i. m.*, -imum *euanidum*) **sdm** *om.* **ebl**
1,6 grecino **A** Epl̄a ad grecinum **B** ad grecinum **le** (-um *euanidum, post 1, 5, 86 in eodem uersu*) (**s**) **d** *om.* **ebl**
1,7 messallino **A** ad messalinum **le** (*post 1, 6, 54 in eodem uersu*) *om.* **Bebl**
1, 8 seuero **A** ad seuerum **Ble** (*post 1, 7, 70 in eodem uersu*) **sdm** *om.* **ebl**
1,9 *om.* **Aebl** celso (*addidit* maximo *altera manus*) **B** (*i. m.*) ad celsum **s** ad maximum **le** (*post 1, 8, 74 in eodem uersu*) **dm**
1,10 *om.* **Aebl** flacco (*post 1, 9, 56 in eodem uersu*) **B** ad flac(c)um **le** (*post 1, 9, 56 in eodem uersu*) **sdm**

DE ELEGIARVM ORDINE

Poetis Romanis, qui breuia poematia in unum opus componerent, mos erat in singulos libros aut dena aut quindena aut uicena opuscula conferre. id quod et in Ouidii libris saepe accidit. praeterea intra unum quemque librum singula poematia *συμμετρικῶς* disponere solebant. in dissertatione sua H. H. Froesch u. d. demonstrauit, si elegia undecima libri secundi (2, 11) post quartam tertii (3, 4) translata esset, fore ut et ordo *συμμετρικὸς* intra libros I, II, III constitueretur, et unus quisque liber denas elegias contineret.[53]) quae cum ita sint, facere non potui quin ordinem Ouidianum, ut mihi Froeschii argumenta persuaserunt, restituerem, quo clarius ars doctissimi poetae manifesta fieret: attamen magnum erat detrimentum poematum numeros iam inde ab Heinsii temporibus ab omnibus uiris doctis usitatos turbare. constitui igitur numeros iam usu sanctos conseruare, nisi ut super ipsas elegias 'recte VI' uel similia adderem.

DE TEXTVS INTERPVNCTIONE

Ouidius uerborum ordinem adeo licenter turbare sibi permisit, ut editor saepius haereat, quomodo facillime poetae mentem lectoribus expediat. itaque statui nullas certas normas in textu interpungendo adhibere, sed semper conari medium quendam cursum sequi. quam ob rem inuenies *plus isto, duri, si precer, oris ero* potius quam *plus isto duri si precer oris ero* (1, 1, 80) sed contra *qui miser est ulli si suus esse potest* loco *qui miser est, ulli si suus esse potest* (1, 3, 2) et rursus *sed sum, quam medico, notior ipse mihi* potius quam *sed sum quam medico notior ipse mihi* (1, 3, 92), at contra nullum comma post 1, 9, 1. nec raro accidit, ut uocabulum quod est *-que* ex sententiola in qua stare debuit remota sit, ut *quoque ierit quaeras qui fuit ante color* (1, 10, 26), ubi comma inserere nolui, quamuis duobus usus essem, si in prosa oratione haec uerba inuenissem: *et quaeras, quo color ierit, qui ante fuit.* praeterea interdum in apparatu silui, licet alius editor textum aliter interpunxerit. (de his quaestionibus uelim consulas G. P. Goold, Amatoria Critica, HSCPh 69, 1965, 14.)

---

53) Cf. tabulas quas Froesch imprimendas curauit (137–143) et argumenta eius (127–144). notandum est 3, 4 a uerbis *Haec tibi*, 2, 11 a uerbis *Hoc tibi* incipere. hac similitudine deceptus elegiam 2, 11 omittere potuit archetypi scriba. (miro casu 1, 3, quae ab nonnullis omittitur, a uerbis *Hanc tibi* incipit.) non modo duae rationes nobis suadent ut 2, 11 loco suo moueamus, sed altera ex his rationibus ipsa est duplex: inter enim 2, 8 et 3, 2 tres elegias ordo postulat cum quattuor habeamus, et inter 3, 2 et 3, 5 tres postulantur cum duae extent. et fortasse memoratu dignum est non modo elegiarum sed etiam uersuum numeros in primo et tertio libro hac transpositione paene exaequari.

DE EDITIONIBVS

Nicolaus Heinsius primus opus codicum Ouidianorum recensendorum serio aggressus est.[54]) plus triginta annos multas per terras peregrinatus circiter quadraginta harum elegiarum codices contulit, quorum lectiones in marginibus librorum suorum minutissimis litteris adscripsit. textús uulneribus plurimis locis medicinam salutarem adhibuit, apparatum uero criticum non praestitit. qui quamquam bene intellexit codicem **A** primarium locum inter ceteros tenere, codicis **s** lectiones paulo pluris quam debuit aestimauit. interdum etiam deteriorum lectiones speciosas, quae elegantia sua placebant, immerito in textum accepit. nonnumquam ipse ingenio suo nimis indulgens suas coniecturas ueri haud similes pro genuinis habuit. nihilominus, ut luna inter stellas, sic Heinsii gloria inter omnium editorum qui has elegias edendas susceperunt laudes etiamnunc effulget.

Petrus Burmannus non solum ex priorum editorum commentariis sed etiam ex Heinsii secundis curis et uariis lectionibus, quas Heinsius tanta diligentia congesserat, in editione sua commentariorum uastam indigestamque molem extruxit. R. Merkel (in editione Tristium et Ibidis, Berolini 1837, v–xiv) fuse egit de incuria et calliditate quibus Burmannus usus est, dum ex copiis Heinsianis eligit quae diuulgaret. licet his uitiis laboret, editio Burmanniana adhuc inter editoris maxima subsidia locum secura tenet. textus Heinsio-Burmannianus statim ut 'uulgatus' ab insequentibus editoribus acceptus est.[55])

R. Merkel (anno 1850) primus codicis **A** meritis fretus nouum textus fundamentum iacere conatus est. qui seueris artis criticae normis usus aliquatenus textum ab Heinsii flosculis repurgauit, sed nimium coniecturis suis confidebat. O. Korn, qui codicem **B** rectius aestimauit et **s** denuo contulerat, Heinsii notis ineditis, quae Berolini conseruabantur, usus cura diligentissima textum nouum et apparatum criticum laude dignum confecit.[56]) praeterea omnium uocabulorum indicem utilissimum operi addidit. alteram (anno

54) Ante Heinsii tempora textus ex maxima parte deterioribus nitebatur. asterisco notaui in bibliographia ueterum editiones quae maioris esse momenti uidentur.

55) Ante Burmanni editionem T. P. Verpoorten textui Heinsiano commentarios suos anno 1712 addidit. T. C. Harles (anno 1772), quamquam Heinsii auctoritatem superstitiose obseruabat, nouos codices duos, inter quos **B** laude dignus erat, repperit.

56) A. Riese editionem anno 1874 breui apparatu critico ornauit, quem ex Korniano elegerat. difficultates haud paucas acumine suo detexit, sed nimia festinatione paucissima uulnera sanauit. O. Güthling anno 1884 primus trium codicum **ABC** lectiones in apparatu critico posuit et complures doctorum coniecturas addidit. ipse tamen paene nihil effecit, quod has elegias illustraret. cf. p. VIII n. 25.

1884) Merkel emisit editionem[57]), quam R. Ehwald auxilio suo meliorem reddere conatus est.[58]) sed editionis prioris praefationem omiserunt perperam, ni fallor, et credebant se archetypi formam restituere posse, quo effecerunt ut multos uersus nulla iusta causa condemnauerint. post Merkelii mortem R. Ehwald nouam in hac Bibliotheca Teubneriana editionem parabat. quod opus inceptum F. W. Levy (postea Lenz) suscepit et Ehwaldii collationibus perplexe confusis usus[59]) Ouidianorum operum tertii uoluminis primam partem anno 1922 edidit. qui ut errores ex Ehwaldii notis ortos in apparatum posuit, ita Ehwaldii sententiis nimis obsequens textui ipsi coniecturis eius inculcatis damna inflixit et argumentis eius confisus corrupta defendit. S. G. Owen et anno 1894 et anno 1915 editiones quae **ABC** nitebantur curabat. textui, qui nimis fideliter codices sequebatur, apparatum breuem clarum accuratum subiunxit.[60]) mox F. W. Lenz (olim Levy), quamquam multis difficultatibus impeditus, editionem Parauianam curauit, in qua inuenire possis apparatum ceteris multo locupletiorem.[61]) nam aliquot codices ipse contulerat, nonnullos amici inspexerant, ceterorum lectiones e prioribus editionibus deprompserat. qui maxima diligentia minima artis criticae peritia uel confidentia tantam et tam diuersam uariarum lectionum farraginem e codicibus congessit, ut grana aurea ex stercorum congerie eruere cogaris. industria tamen et scientia adeo praeditus erat uir celeberrimus, ut magnum fructum e praefatione adnotationibusque eius capias. haec editio, quam anno 1938 emiserat, e funestis belli casibus uix euasit, nec facile exemplaria nunc inue-

57) Propter 'editionis exilitatem' (ut p. iii ipse dixit) Merkel nullum apparatum editioni anni 1884 subiunxit, sed in praefatione de coniecturis suis breuiter disseruit. credidit se inuenisse quomodo archetypum in singulas paginas distributum esset, sed multa disticha uncis secludere, ut schema suum efficeretur, coactus est. opinio eius, quod sciam, nemini ex posterioribus persuasit.

58) R. Ehwald, uir doctissimus sed quisquiliis minutis tortuosis subtilioribus nimis deditus, libellum breuem sed intricatum – uix, ut Owen (editio 1915, viii) credidit, 'uere aureum libellum' – cui titulus est Kritische Beiträge zu Ovids Epistulae ex Ponto, Gotha 1896, scripsit. hic libellus, qui et lucem et tenebras compluribus locis infundit, ab editoribus neglegi haudquaquam debet.

59) Hugo Magnus apparatus Ehwaldo-Lenziani uitia in recensione (PhW 44, 1924, 247–249) iure reprehendit.

60) 'Rationem et rem ipsam' sequi debuit potius quam editorum et codicum auctoritate confidere.

61) In codicibus legendis magnam uitae partem Lenzius degerat, unde suspicor eum non modo oculis hebetibus tum iam impeditum fuisse (grauissime certe anno 1958 laborabat) sed etiam in dies magis ex ipsis codicibus quam aliunde sperauisse se Ouidianam ueritatem allaturum esse. maximam copiam lectionum prorsus inutilium congessit, quamquam ipse (ed. 1922, v) scripserat 'Est enim periculum ne apparatus non modo nimis intumescat, sed etiam sex uel septem codicibus ad uiliorem scripturam illustrandam commemoratis errores praebeat inextricabiles'.

niri possunt. J. André anno 1977 editionem quam Francogallice vertit publici iuris fecit. in praefatione haec dixit: 'Bien que A B C D aient été lus par R. Ehwald, que A B C aient été relus par F. Lenz et D par P. Richter... nous n'avons pas cru devoir nous dispenser d'une nouvelle lecture, et bien nous en a pris... [errores editionis Lenzianae memorat]. Il eut été trop long de signaler chaque fois ce désaccord dans l'apparat. On voudra bien considérer, lorsqu'il apparaîtra, qu'il n'y a pas erreur de notre part.' attamen et in apparatum eius hic illic errores irrepserunt (ut 1, 3, 5 'poeantius AC' – hoc enim poema in **A** haud extat; 2, 9, 19 'generis clarissimus auctor AB²DT' sed re uera *suadet erictonius* **A**.[62]) codices **ABC** per imagunculas denuo legi, et siquid in labore tam aleae pleno humana fragilitate erraui, lectorum ueniam precor.[63])

DE TEXTV CONSTITVENDO

Codicibus consentientibus archetypi lectionem habemus. quae aut uera aut falsa esse potest. falsa uarie deteguntur: aut re ipsa, ut *dianae* (1,1,41) uel *remotis* (3, 1, 21; *remota* enim, si hoc uocabulum re uera **d** praestat, pro coniectura habeo); aut metro, ut *olentia stagna* (2, 10, 25); aut linguae Latinae legibus, ut *proflua* (2,1,39); aut stilo Ouidiano, si lectioni repugnat, ut *atque suis* (2,9,66).

At, si codices inter se differunt, difficilius est discernere, quid in archetypo fuerit.[64]) nam fieri potest, ut falsa lectio in archetypum inrepserit, quam postea scriba aut unius codicis superstitis aut hyparchetypi feliciter correxit.[65]) uix tamen credam *abigi* **BC** loco *abici* ex coniectura ortum esse (2,3,37), quamquam suspicor *uultus* (dett.) loco *illius* **A** uel *ullius* **BC** (2,2,5) inuentum esse a scriba quodam cui manifestum fuit nullam sententiam ex textu tradito extrahi posse. sed in tali re saepissime prudentis est nihil de ar-

62) Cf. recensionem quam conscripsit J. McKeown, CR n. s. 29, 1979, 43–44.

63) Complurium aliorum codicum imagunculas aut ipsos codices inspexi; hos stellula in tabula codicum p. XXIV signaui. quos omnes inter deteriores ponere debemus cum habeant interpolationes quibus **ABC** carent. his in codicibus praeter locos interpolatos circiter 80 uersus in initio circiter 50 in fine uniuscuiusque contuli. credibile est posterioris aetatis coniecturas hic illic in codicibus praesertim ab Italis, ut uocantur, iam praeoccupatas inueniri posse, sed uix sperem multum ueritatis in codicibus nondum exploratis latere, nisi aliquis codicem uetustiorem inueniat. iam a duodecimo saeculo uariae lectiones passim per scholas et scriptoria uagabantur.

64) Cf. quae supra p. XIII de codicum archetypo dixi. hyparchetypus codicum **ABC**, opinor, ex consensu **AB** uel **AC** restitui potest.

65) Sed dum meros errores ex incuria uel ignorantia scripturae natos scrutamur, longe aliter res se habet, quam dum mutationes textus corrigendi causa factas trutina pensamur.

chetypo asseuerare. eis igitur rationibus, quas de archetypi lectionibus paulo supra exposui, in uariis lectionibus distinguendis rursus utemur. praeterea unam ex lectionibus fortasse praeferemus, si rogauerimus utra lectio in utram abire potuerit. sic enim inducor ut *nota* **ACbl** (2, 10, 22) esse uerum credam et *uisa* (**Bleebl**^{v}) ex *oculis* ortum esse. pari ratione lectio difficilior saepe eligetur, nam magis est credibile scribam difficultatem remouere conatum esse quam inferre uoluisse. sic *qualiacumque modo...sint* **A** ad uerum ducit, et *qualicumque modo...sint* **BCleebl** plura ueritatis uestigia retinet quam *qualicumque modo...sunt* **wc** (1, 6, 23).

Vbi tamen ratio et res ipsa deficiunt, tum uero ad codicis melioris uel codicum meliorum auctoritatem confugere debemus. sic res se habet, ut opinor, ubi legimus *nimbifero* **BC**, *nubifero* **leebl** (4, 8, 60).

Quibus omnibus perpensis interdum lectio restabit quae corrupta aut minus Ouidiana editori esse uisa erit aut alio scrupulo animum eius inquietum reddiderit. nonnullae coniecturae palmares, ut uocantur, facile locum in textu sibi uindicabunt ut Merkelii *proelia* (2, 1, 39), nam luce clarius est *PROELIA* dedisse *PROFLIA* unde archetypi *PROFLUA*.[66]) res est minus certa, si duas aut plures coniecturas ueri similes habeas, ut 1, 2, 103 *petito* Heinsii et *petito ut* Daumii. in scala coniecturarum, ut hac similitudine utar, paulo infra has ponendae sunt coniecturae quae stilum Ouidianum magis repraesentare uideantur quam textus traditus. uelut *quemlibet* (3, 4, 10) codicum **Xs** uidetur archetypum habuisse et *quam libet* (**plo**) ex errore uel coniectura ortum esse. Ouidius ipse non dubito quin praetulisset *quamlibet*; attamen uix negare possumus eum *quemlibet* dare potuisse. paene in eodem gradu stant coniecturae quae primo obtutu sententiae satisfaciant, sed postea scrupulum quendam moueant. talem esse credo Rothmalerii *Thyrsis abest a te, gustata et laurea nobis, sed tamen ambobus debet inesse calor* (2, 5, 67–68). hic textus, ut ita dicam, duas res a Salano detrahit et unam Salanum et Ouidium habere dicit. sed poetae argumentum magis hanc sententiam requirere uidetur: 'tu habes A, ego B, sed ambo C habere debemus', ut quandam aequalitatem uel compensationem efficiat.

Alias quoque coniecturas in apparatu posui, quas falsas esse putem, sed uiam ad ueritatem ducentem fortasse aliis demonstrare possint. paene ultimo loco eas accepi, quae ulcus latere posse demonstrent, ut *quasso* Merkelii (3, 9, 22). postremo et multarum mentionem feci, quas credam, quamuis falsas esse pro certo habeam, aut textus historiam illustrare, aut codicum indolem indicare, aut de quibus suspicer fore ut postea ab aliis iterum proponantur. meminisse enim debemus quod nescioquis de R. Bentleio recte dixit, nos plus ex erroribus eius quam ex aliorum scientia posse discere.

---

66) Cf. Tac. ann. 2, 41, 3 (de Germanici triumpho anni 17 p.C.n.) *uecta... simulacra montium fluminum proeliorum.*

caede puer facta Patroclus Opunta reliquit,
  Thessalicamque adiit hospes Achillis humum.
75 exul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam,
  quo duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.
liquit Agenorides Sidonia moenia Cadmus,
  poneret ut muros in meliore loco.
uenit ad Adrastum Tydeus Calydone fugatus,
80 et Teucrum Veneri grata recepit humus.
quid referam ueteres Romanae gentis, apud quos
  exulibus tellus ultima Tibur erat?
persequar ut cunctos, nulli datus omnibus aeuis
  tam procul a patria est horridiorue locus.

85 quo magis ignoscat sapientia uestra dolenti,
  quod facit ex dictis non ita multa tuis.
nec tamen infitior, si possint nostra coire
  uulnera, praeceptis posse coire tuis:
sed uereor, ne me frustra seruare labores,
90 nec iuuor admota perditus aeger ope.
nec loquor haec, quia sit maior prudentia nobis;
  sed sum, quam medico, notior ipse mihi.
ut tamen hoc ita sit, munus tua grande uoluntas
  ad me peruenit, consuliturque boni.

IV

Iam mihi deterior canis aspergitur aetas, *Vxori*
  iamque meos uultus ruga senilis arat,

4 VXORI] *cf. Syme 145*

X = BCleebl
76 colcha ... aqua **X** colcham ... aquam **er** *(cf. 2, 6, 12; ep. 18, 6)* Colchas... aquas *Heinsius (cf. trist. 5, 7, 36 et Luck ad loc.)* || **80** grata **X** sacra **pp** || **84** horridiorue **X** horridiorque **s** || **85** uestra *in* **C** *obscurum* (*uix* nostra *(sc. 'mala')*) || **86, 89, 90, 87, 88, 91** *hoc ordine in* **bl** || **86** Quod **a**, *Damsté* Quae **X** Qui *T. Faber (cf. 'magnas pecunias ex metallis fecerat' Nep. Cim. 1, 3)* || **87** Nec **BC le bl** Non **e** + | possint **BC bl** possent **le** + possunt **e** + || **90** Nec **BCle e** *(cf. K.-S. 2, 252)* Ne **bl** Neu *Heinsius* | iuuor *scripsi* iuuer **X** iuues **C** *(p. c.?)* || **91** h(a)ec **leebl**. hoc **BC** | quia **B** *(?)* **Ce** quin **B** *(p. c. secunda, ut uidetur, manu)* **lebl** quod **fr** || **94** consuliturque boni **C** *(cf. 3, 8, 24)* consulit**que boni **B** consuluitque bene **B**[2] **le** consuluitque boni **e bl**[v] consiliumque dedit **s** + officiumque dedit **bl**

iam uigor et quasso languent in corpore uires,
  nec iuueni lusus qui placuere iuuant,
5 nec, si me subito uideas, agnoscere possis:
  aetatis facta est tanta ruina meae.
confiteor facere hoc annos, sed et altera causa est,
  anxietas animi continuusque labor.
nam mea per longos si quis mala digerat annos,
10 crede mihi, Pylio Nestore maior ero.
cernis ut in duris (et quid boue firmius?) aruis
  fortia taurorum corpora frangat opus.
quae numquam uacuo solita est cessare nouali,
  fructibus adsiduis lassa senescit humus.
15 occidet, ad circi siquis certamina semper
  non intermissis cursibus ibit equus.
firma sit illa licet, soluetur in aequore nauis,
  quae numquam liquidis sicca carebit aquis.
me quoque debilitat series inmensa malorum,
20 ante meum tempus cogit et esse senem.
otia corpus alunt, animus quoque pascitur illis;
  inmodicus contra carpit utrumque labor.

aspice, in has partis quod uenerit Aesone natus,
  quam laudem a sera posteritate ferat.
25 at labor illius nostro leuiorque minorque est,
  si modo non uerum nomina magna premunt.
ille est in Pontum Pelia mittente profectus,
  qui uix Thessaliae fine timendus erat:
Caesaris ira mihi nocuit, quem solis ab ortu
30 solis ad occasus utraque terra tremit.
iunctior Haemonia est Ponto, quam Roma, Sinistro,
  et breuius, quam nos, ille peregit iter.

X = ABCleebl

4 3 quasso **X** presso **s** lasso **m** | uires **ABleebl** iures **C** uene **B**[2] || **5** agnoscere **ABCe** cognoscere **lebl** || **6** (a)etatis **ABClee** aetati **bl** | facta est tanta **X** t.e.f. **pp** || 7 est **ACleebl** *om.* **B** || **8** labor **X** dolor **ol** || **12** frangat **ABC e** frangit **lebl** || **13** uacuo solita est **X** s.e.u. **d +** || **15** Occidet **BCebl** Occidit **Ale** || **16** equ(u)s **BCleebl** equis **A** || **19** malorum **ABC** laborum **leebl** || **22** labor **X** dolor **pp** || **23** quod uenerit … natus **ABCebl** quid euenerit … nato **le** || **24** a **BClee** *om.* **Abl** || **26** nomina **ACleebl** numina **B** || **30** tremit **ABCbl**[v] timet **leebl** || **31–32** *del. Heinsius* || **31** sinistro *Burmannus* sit histro **X**

ille habuit comites primos telluris Achiuae,
  at nostram cuncti destituere fugam.
35 nos fragili ligno uastum sulcauimus aequor,
  quae tulit Aesoniden, sacra carina fuit.
nec mihi Tiphys erat rector, nec Agenore natus
  quas fugerem docuit quas sequererque uias.
illum tutata est cum Pallade regia Iuno:
40 defendere meum numina nulla caput.
illum furtiuae iuuere Cupidinis artes,
  quas a me uellem non didicisset Amor.
ille domum rediit: nos his moriemur in aruis,
  perstiterit laesi si grauis ira dei.

45 durius est igitur nostrum, fidissima coniunx,
  illo, quod subiit Aesone natus, opus.
te quoque, quam iuuenem discedens Vrbe reliqui,
  credibile est nostris insenuisse malis.
o ego di faciant talem te cernere possim,
50 caraque mutatis oscula ferre comis,
amplectique meis corpus non pingue lacertis,
  et 'gracile hoc fecit' dicere 'cura mei'.
et narrare meos flenti flens ipse labores,
  sperato numquam conloquioque frui,
55 turaque Caesaribus cum coniuge Caesare digna,
  dis ueris, memori debita ferre manu.
Memnonis hanc utinam lenito principe mater
  quam primum roseo prouocet ore diem.

X = ABCleebl

34 nostram cuncti **ABClee** c. n. **bl** | destituere **ABCle** deseruere **ebl** || **35** ligno uastum **X** u. l. φ, *Heinsius* || **36** tulit **B C le e bl** (qua) subit **s** solet **A** | aesoniden sacra **C** *(p. c.)* hesoniden sacra **B** (sacra *in ras.*) aesoniden hac **C** *(?)* aesoni densa **A** aesoniden densa **sc** (a)esoniden firma **leebl** + esonides argo **s** (firma *sscr.*) || **40** meum … caput **X** caput … meum **m** || **42** uellem **BCleebl** uellim **A** | amor **ABCs** amans **leebls**^{2} || **44** grauis **X** tamen **p** || **46** opus **Xs**^{2} onus **s** || **49** O ego **ABCebl** Ergo **led** Ergo ego **h** | talem te **X** uel talem *Heinsius* | possim **d** + possem **X** || **50** caraque **BCleebl** coraque **A** raraque **s** crebraque *Markland (ad Stat. silu. 5, 1, 49)* | comis **X** genis **be** + || **52** hoc **ABCebl** h** **le** hanc **le** *(p. c.)* || **53** labores **X** dolores **d** + || **57** hanc **X** *(cf. Fraenkel, K. B. 1, 69)* hunc **d** + || **58** prouocet **X** prouehet **v** prouehat **v**^{v}**vb**

V

Cottae Maximo

Ille tuos quondam non ultimus inter amicos,
  ut sua uerba legas, Maxime, Naso rogat.
in quibus ingenium desiste requirere nostrum,
  nescius exilii ne uideare mei.
5 cernis, ut ignauum corrumpant otia corpus,
  ut capiant uitium, ni moueantur, aquae.
et mihi siquis erat ducendi carminis usus,
  deficit, estque minor factus inerte situ.
haec quoque, quae legitis (si quid mihi, Maxime, credis),
10 scribimus inuita uixque coacta manu.
non libet in talis animum contendere curas,
  nec uenit ad duros Musa uocata Getas.
ut tamen ipse uides, luctor deducere uersum,
  sed non fit fato mollior ille meo.
15 cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno
  me quoque, qui feci, iudice digna lini.
nec tamen emendo; labor hic quam scribere maior,
  mensque pati durum sustinet aegra nihil.
scilicet incipiam lima mordacius uti,
20 et sub iudicium singula uerba uocem:
torquet enim Fortuna parum, nisi Lixus in Hebrum
  confluat et frondes Alpibus addat Atho.
parcendum est animo miserabile uulnus habenti:
  subducunt oneri colla perusta boues.

25 at, puto, fructus adest, iustissima causa laborum,
  et sata cum multo fenore reddit ager:

5 Cottae Maximo] *cf. Syme 117; 125*

5 1 tuos **A C le e bl** tuus **B** ‖ **5** ut **A B C le bl** et **e** | corrumpant **A C e** corru*at **le** corrumpunt **B bl** ‖ **6** capiant uit/cium **B C le e bl s**^{2} capeant uitio **A** capeant uitium **s** careant uitio *Merkel* | ni **X** si *Merkel* ‖ **7** Et **B C** *(?)* **le e bl** Vt **A** Ei **C**^{2} Sit **s** Sic **n pp** | ducendi **A B** *(?)* **C** *(?)* **bl**^{v} dicendi **B** *(p. c.)* **e bl s** facundi **le** *(p. c.)* tractandi **bl**^{v} ‖ **10** coacta **A B** *(paene erasum)* **C bl**^{v} **s** mouente **B**^{2} **le e** monente **bl** notata **xe** rogata **f ka** ‖ **11** contendere **A B C le e bl**^{v} componere **B**^{2} dimittere **bl** ‖ **12** uocata **A B C le bl**^{sscr} rogata **e bl** ‖ **17** Nec **A B C le e** Non **bl** ‖ **20** Et **A B C e** Vt **le bl** ‖ **21** lixus **A B** *(nomen uix idoneum)* licus **C** (cus *in ras. add.* **C**^{2}) **le e s** lithus **bl** Lissus *Merkel* Nilus *Heinsius* ‖ **22** frondes **A B C le bl** montes **e** cautes *uel* moles *Burmannus* | atho **A B** athos **C** (s *add.* **C**^{2}, *opinor*) **le e bl**

tempus ad hoc nobis, repetas licet omnia, nullum
  profuit (atque utinam non nocuisset) opus.
cur igitur scribam, miraris? miror et ipse,
30 et tecum quaero saepe, quid inde petam.
an populus uere sanos negat esse poetas,
  sumque fides huius maxima uocis ego,
qui, sterili totiens cum sim deceptus ab aruo,
  damnosa persto condere semen humo?
35 scilicet est cupidus studiorum quisque suorum,
  tempus et adsueta ponere in arte iuuat.
saucius eiurat pugnam gladiator, et idem
  inmemor antiqui uulneris arma capit;
nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis,
40 et ducit remos, qua modo nauit, aqua.
sic ego constanter studium non utile seruo,
  et repeto, nollem quas coluisse, deas.

quid potius faciam? non sum, qui segnia ducam
  otia: mors nobis tempus habetur iners.
45 nec iuuat in lucem nimio marcescere uino,
  nec tenet incertas alea blanda manus.
cum dedimus somno, quas corpus postulat, horas,
  quo ponam uigilans tempora longa modo?
moris an oblitus patrii contendere discam
50 Sarmaticos arcus, et trahar arte loci?
hoc quoque me studium prohibent adsumere uires,
  mensque magis gracili corpore nostra ualet.
cum bene quaesieris, quid agam, magis utile nil est
  artibus his, quae nil utilitatis habent.
55 consequor ex illis casus obliuia nostri:
  hanc messem satis est si mea reddit humus.

gloria uos acuat, uos, ut recitata probentur
  carmina, Pieriis inuigilate choris.

X = ABCleebl

27 hoc **Aleebl** huc **C** est **B** || 30 tecum **X** mecum **pp** | petam **X** feram **g kc**^{v} || 33 Qui **ABCbl** Cur **les** Quid **e** || 36 Tempus...ponere **X** Ponere...tempus **φ** || 37 eiurat **ACle** eiutat **B** *(?)* euitat **ebl** *(?)* || 38 capit **X** gerit **n**^{v} || 39 dicit **X** iurat **kc** || 40 Et **X** Mox **fr** || 41 seruo **ABCle e** carpo **bl** || 43 ducam **B** *(p.c.)* **Clee bl** dicam **B** ducat **A** ducāt **A**^{2} || 46 Nec **ABClebl** Non **e** || 50 et] *fort.* ut *legendum* | trahar **leebl** trahor **ABC** || 56 satis **BCleebl** sitis **A** (satis est *56 et 59 et 65 satietatem mouet!*) (hanc) satis (est messem) **baog** || 57 uos^{2} **BClee** nos **A** uestra **bl** +

quod uenit ex facili, satis est componere nobis,
60 et nimis intenti causa laboris abest.
cur ego sollicita poliam mea carmina cura?
an uerear, ne non approbet illa Getes?
forsitan audacter faciam, sed glorior Histrum
ingenio nullum maius habere meo.
65 hoc, ubi uiuendum est, satis est si consequor aruo
inter inhumanos esse poeta Getas.
quo mihi diuersum fama contendere in orbem?
quem Fortuna dedit, Roma sit ille locus.
hoc mea contenta est infelix Musa theatro:
70 sic merui, magni sic uoluere dei.

nec reor hinc istuc nostris iter esse libellis,
quo Boreas pinna deficiente uenit.
diuidimur caelo, quaeque est procul urbe Quirini,
aspicit hirsutos comminus Vrsa Getas.
75 per tantum terrae, tot aquas, uix credere possum
indicium studii transiluisse mei.
finge legi, quodque est mirabile finge placere:
auctorem certe res iuuat ista nihil.
quid tibi, si calida, prosit, laudere Syene,
80 aut ubi Taprobanen Indica tingit aqua?
altius ire libet? si te distantia longe
Pleiadum laudent signa, quid inde feras?
sed neque peruenio scriptis mediocribus istuc,
famaque cum domino fugit ab Vrbe suo;
85 uosque, quibus perii, tum cum mea fama sepulta est,
nunc quoque de nostra morte tacere reor.

62 uerear **Abl** uereor **BClees** || **63** faciam **X** facio (si) **pp** facio (ni) **n** *(p. c.)* | glorior **X** (si) glorier *Heinsius* || **64** Ingenio... meo **ABCbl** Ingenium... meo **lee** || **65** est^{1} **ABCebl** *om.* **le** | est^{2} **X** *om.* **s** || **69** Hoc... theatro **X** His...theatris **p** || **70** Sic^{1} **X** Hoc *Lenz (παραβλέψας, opinor)* | magni **BCleebl** *om.* **A** || **71** istuc **ABCle** illuc **ebl** || **75** possum **X** possim **p** || **78** certe res **BCleebl** ceteres **A** || **79–82** *spurios esse suspicor* || **79** calida... syene **leebl** calidae... syenae **B** calide ... syon ea **C** calida es ...sine **A** calida *(?)*...sirene **s** | prosit **ABClee** prodest **bl** | laudere **Bebl** laudare **Cles** imidere **A** || **80** tingit **o** + pingit **Xs** cingit **l** + *(cf. met. 4, 21)* || **81–82** *del. Bentleius* || **82** feras **ABCe** feres **C^{2}lebl** || **85** tum **svcxa** tunc **X** | fama **X** musa *Damsté* uita *Hall*

VI

Graecino

Ecquid, ut audisti (nam te diuersa tenebat
  terra) meos casus, cor tibi triste fuit?
dissimules metuasque licet, Graecine, fateri,
  si bene te noui, triste fuisse liquet.
5 non cadit in mores feritas inamabilis istos,
  nec minus a studiis dissidet illa tuis:
artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est,
  pectora mollescunt asperitasque fugit.
nec quisquam meliore fide complectitur illas,
10   qua sinit officium militiaeque labor.
certe ego, cum primum potui sentire, quid essem,
  (nam fuit attoniti mens mea nulla diu),
hoc quoque Fortunam sensi, quod amicus abesses,
  qui mihi praesidium grande futurus eras.
15 tecum tunc aberant aegrae solacia mentis
  magnaque pars animi consiliique mei.
at nunc, quod superest, fer opem, precor, eminus unam,
  alloquioque iuua pectora nostra tuo,
quae, non mendaci si quicquam credis amico,
20   stulta magis dici quam scelerata decet.
nec breue nec tutum, peccati quae sit origo,
  scribere: tractari uulnera nostra timent.
qualia quoque modo mihi sint ea facta, rogare
  desine; non agites siqua coire uelis.
25 quidquid id est, ut non facinus, sic culpa uocanda est:
  omnis an in magnos culpa deos scelus est?
spes igitur menti poenae, Graecine, leuandae
  non est ex toto nulla relicta meae.
haec dea, cum fugerent sceleratas numina terras,
30   in dis inuisa sola remansit humo.

6 GRAECINO] *cf. Syme 74* || **25** *cf. trist. 2, 315 et Owen ad loc.*

X = ABCleebl

6 6 Nec minus **X** Nam nimis **v** || **12** attoniti *Ehwald* attonita **B** *(p. c.)* attonito **AB** *(?)* **Cleebl** | mea **ABC** mihi **leebl** || **13** Hoc **ABCles** Hanc **ebl** | fortunam **X** fortun(a)e **mpn** || **16** animi **X** animae **vb** || **21** breue **ABleebl** ƀue **C** *(?)* bene **s** leue *Heinsius* | tutum **A le** *(cf. Jacobi 17)* tutum est **BCebl** || **22** timent **ABleebl** negant **C**² *(in ras.)* || **23** Qualia quoque *Riese* Qualia cumque **Abe** Qualicumque **BCleebl** | sint **X** sunt **wc**, *Ehwald* || **24** agites **BCleebl** agitis **A** || **25** uocanda est **X** *(cf. K.-S. 1, 40)* uocandum est **pi** || **27** menti **B** (*corr. ex* mentis) **leebl** mentis **AC** (men- **C**² *in ras.*) || **30** In dis **BC** Idis **A** Ex diis **bl** Et di(i)s **lee**

haec facit, ut uiuat fossor quoque compede uinctus,
liberaque a ferro crura futura putet.
haec facit, ut, uideat cum terras undique nullas,
naufragus in mediis bracchia iactet aquis.
35 saepe aliquem sollers medicorum cura reliquit,
nec spes huic uena deficiente cadit.
carcere dicuntur clausi sperare salutem,
atque aliquis pendens in cruce uota facit.
haec dea quam multos laqueo sua colla ligantis
40 non est proposita passa perire nece.
me quoque conantem gladio finire dolorem
arguit, iniecta continuitque manu,
'quid'que 'facis? lacrimis opus est, non sanguine' dixit;
'saepe per has flecti principis ira solet.'
45 quamuis est igitur meritis indebita nostris,
magna tamen spes est in bonitate dei.
qui ne difficilis mihi sit, Graecine, precare,
confer et in uotum tu quoque uerba meum.
inque Tomitana iaceam tumulatus harena,
50 si te non nobis ista uouere liquet.
nam prius incipient turris uitare columbae,
antra ferae, pecudes gramina, mergus aquas,
quam male se praestet ueteri Graecinus amico;
non ita sunt fatis omnia uersa meis.

VII

Messalino

Littera pro uerbis tibi, Messaline, salutem,
quam legis, a saeuis attulit usque Getis.
indicat auctorem locus; an nisi nomine lecto
haec me Nasonem scribere uerba latet?
5 ecquis in extremo positus iacet orbe tuorum
me tamen excepto, qui precor esse tuus?
di procul a cunctis, qui te uenerantur amantque,
huius notitiam gentis habere uelint.

36 uena *cf. 1, 3, 10* || **7** MESSALINO] *cf. Syme 117*

31 fossor... uinctus **AB(C)leebl** uinctus... fossor *Heinsius ex trist. 4, 1, 5* || **42** Arguit **ABebl** Arcuit **C***(?)***le** | iniecta...manu **ABCe** iniectam...manum **lebl** ingecta... manum **s** || **45–46** *fortasse delendi secundum Luck* || **50** uouere **ABClee** mouere **bls** || **51** incipient **X** incipiant **oixe** || **52** Antra **X** Lustra **ba**
7 8 habere **ABC** abesse **B²leebl**

nos satis est inter glaciem Scythicasque sagittas
10 uiuere, si uita est mortis habenda genus;
nos premat aut bello tellus aut frigore caelum,
truxque Getes armis, grandine pugnet hiems;
nos habeat regio nec pomo feta nec uuis,
et cuius nullum cesset ab hoste latus:
15 cetera sit sospes cultorum turba tuorum,
in quibus, ut populo, pars ego parua fui.

me miserum, si tu uerbis offenderis istis,
nosque negas ulla parte fuisse tuos.
idque sit ut uerum, mentito ignoscere debes:
20 nil demit laudi gloria nostra tuae.
quis se Caesaribus notus non fingit amicum?
da ueniam fasso: tu mihi Caesar eras.
nec tamen inrumpo, quo non licet ire, satisque est,
atria si nobis non patuisse negas.
25 utque tibi fuerit mecum nihil amplius, uno
nempe salutaris, quam prius, ore minus.
nec tuus est genitor nos infitiatus amicos,
hortator studii causaque faxque mei,
cui nos et lacrimas, supremum in funere munus,
30 et dedimus medio scripta canenda foro.
adde quod est frater tanto tibi iunctus amore,
quantus in Atridis Tyndaridisque fuit:
is nec me comitem nec dedignatus amicum est,
si tamen haec illi non nocitura putas;
35 si minus, hac quoque me mendacem parte fatebor:
clausa mihi potius tota sit ista domus.
sed neque claudenda est, et nulla potentia uires
praestandi, ne quid peccet amicus, habet.

et tamen, ut cuperem culpam quoque posse negari,
40 sic facinus nemo nescit abesse mihi.

X = ABCleebl

9 Nos **Bleebl** Non **A** Id **C** || **12** pugnet **AB** pūgnet **C** pugnat **e** pulset **lebl** punget **b** pungat *Merkel* || **13** pomo **AB** (m *ex corr.*) **C** pomis **leebl** || **19–22** *del. Merkel* || **19** Idque sit ut **ABClee** Vtque sit id **bl** || **21** fingit **X** finget **m** || **22** eras **AB** *(p.c.)* **Cle** eris **B** *(?)* $\mathbf{C}^2$**ebl** || **28** *om.* **C** || **31** frater tanto **X** (tantus **C**) tanto frater **p** || **33** est **ABClebl** *om.* **e** || **35** Si **ABCebl** Sin $\mathbf{B}^v$**le** || **36** ista **ABebl** illa **C** *(man. 2? in ras.)* **les** || **37** uires **BCleebl** *om.* **A** || **38** ne quid peccet **X** (ne quis p. **e**) p. ne q. **p** + || **39** *om.* **C** | negari $\mathbf{Abl}^v$ negare **B** *(p. c.)* **leebl** negar* **B**

quodnisi delicti pars excusabilis esset,
  parua relegari poena futura fuit.
ipse sed hoc uidit, qui peruidet omnia, Caesar:
  stultitiam dici crimina posse mea.
45 quaque ego permisi, quaque est res passa, pepercit,
  usus et est modice fulminis igne sui.
nec uitam nec opes nec ademit posse reuerti,
  si sua per uestras uicta sit ira preces.
at grauiter cecidi: quid enim mirabile, siquis
50 a Ioue percussus non leue uulnus habet?
ipse suas etiam uires inhiberet Achilles,
  missa grauis ictus Pelias hasta dabat.

iudicium nobis igitur cum uindicis adsit,
  non est, cur tua me ianua nosse neget.
55 culta quidem, fateor, citra quam debuit, illa est,
  sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis;
nec tamen officium sensit domus altera nostrum:
  hic illic uestro sub Lare semper eram;
quaeque tua est pietas, ut te non excolat ipsum,
60 ius aliquod tecum fratris amicus habet.
quid quod, ut emeritis referenda est gratia semper,
  sic est fortunae promeruisse tuae?
quodsi permittis nobis suadere, quid optes,
  ut des, quam reddas, plura, precare deos.
65 idque facis, quantumque licet meminisse, solebas
  †officii causa pluribus esse dari.†
quolibet in numero me, Messaline, repone,
  sim modo pars uestrae non aliena domus,

54 *cf. 2, 2, 101–102*

42 relegari **BCleebl** rogari **A** || **43** peruidet **B** *(cf. 1, 8, 34)* pr(a)euidet **AClee bl** prouidet **B** *(p. c. ut uidetur)* **pp** || **44** mea **Cleebl** meam **AB** mei **n** || **45** res **X** lex **B**^{v} *(m. 2)* || **46** modice **B** modicem **A** medico **C** modico **B** *(p. c.)* **leebl** || **50** A **X** Ab *Heinsius* || **51** etiam **ABCle** *(cf. Norden ad Verg. Aen. 6, 31; ThLL 5, 2, 952, 74)* quamuis **ebl** ut iam *Heinsius* || **52** dabat **BCbl** dabit **A** dedit **e bl**^{v} tulit **bl**^{v}**t** daret **le vf** *(cf. 1, 2, 90)* || **54** neget **leebl** negat **ABC** neg*t **B** *(p. c.)* || **56** credo **ABCe** *(cf. Platnauer 52)* crede **lebl** || **57** sensit **X** nescit *Korn* | altera] *sc. 'praeter Messalini domum'* || **58** hic illic] *'aut apud Messalinum aut apud Cottam' Heinsius; fortasse 'aut apud Tomitanos aut Romae'* || **61–66** *del. Weise* || **63** quid optes **AB** quod optes **Ce** quod optas **lebl** || **66** *del. Roeper* | causa **AB** (*corr. ex* causam?) **leebl** caus(s)am **Cs** | dari **ABs** dati **Cleebl** | (uolebas) causam pluribus esse datam *Burmannus* causam p. ipse dare *Harlesius* causam p. esse pati *Merkel* causae p. esse datis *Owen, Purser* (dati), *Schenkl* (dator), *Enk* (sui) || **68** pars... non **X** non... pars **d** *(p. c.)* **pp**

et mala Nasonem, quoniam meruisse uidetur,
70 si non ferre doles, at meruisse dole.

VIII

A tibi dilecto missam Nasone salutem *Seuero*
accipe, pars animae magna, Seuere, meae.
neue roga, quid agam; si persequar omnia, flebis;
summa, sat est, nostri si tibi nota mali.
5 uiuimus assiduis expertes pacis in armis
dura pharetrato bella mouente Geta.
deque tot expulsis sum miles in exule solus:
tuta (neque inuideo) cetera turba latet.
quoque magis nostros uenia dignere libellos
10 haec in procinctu carmina facta leges.

stat uetus urbs, ripae uicina binominis Histri,
moenibus et positu uix adeunda loci.
Caspios Aegisos, de se si credimus ipsis,
condidit, et proprio nomine dixit opus.
15 hanc ferus Odrysiis inopino Marte peremptis
cepit et in regem sustulit arma Getes.
ille memor magni generis, uirtute quod auget,
protinus innumero milite cinctus adest.
nec prius abscessit, merita quam caede nocentum
20 . . . .
at tibi, rex aeuo, detur, fortissime nóstro,
semper honorata sceptra tenere manu;
teque (quod et praestat – quid enim tibi plenius optem?),
Martia cum magno Caesare Roma probet.

25 sed memor unde abii, queror, o iucunde sodalis,
accedant nostris saeua quod arma malis.

8 SEVERO] *cf. Syme 81*

X = ABCleebl

8 1 A **ABebl** t (*cui rubricator* A *praescribere debuit*) **C** *om.* **le** Hanc **gpipnvk** + ‖ **4** sat est *Bentleius* satis **X** | si **A** sit **BCleebl** ‖ **6** geta **AB**^{sscr} *(m. 2?)* **leebl** gete **BC** ‖ **8** neque **ABC** nec **leebl** ‖ **13** Caspios aegisos **A** Caspios egisos **Bs** *(p. c.)* Caspius egis(s)us **B** *(p. c.)* **lee** Captius egipsus **bl** Carpios et piosos (*an* piolos*?*) **C** | credimus **ABC** creditur **C**^{2}**leebl** | ipsis **ABCle** ipsi **ebl** ‖ **20** *om.* **A** Audaces animos contuderit populi **BC**, *Riese* (contuderat) Se nimis ulciscens extitit ipse nocens **leebl** (astitit) ‖ **23** praestat **X** praesto est *Merkel* ‖ **26** Accedant **ACleebl** *(cf. trist. 1, 2, 84)* Accedunt **B**

ut careo uobis Stygias detrusus in oras,
  quattuor autumnos Pleias orta facit.
nec tu credideris urbanae commoda uitae
30 quaerere Nasonem (quaerit et illa tamen).
nam modo uos animo, dulces, reminiscor, amici,
  nunc mihi cum cara coniuge nata subit,
aque domo rursus pulchrae loca uertor ad Vrbis,
  cunctaque mens oculis peruidet illa suis:
35 nunc fora, nunc aedes, nunc marmore tecta theatra,
  nunc subit aequata porticus omnis humo,
gramina nunc Campi pulchros spectantis in hortos
  stagnaque et euripi Virgineusque liquor.

at, puto, sic Vrbis misero est erepta uoluptas
40 quolibet ut saltem rure frui liceat:
non meus amissos animus desiderat agros
  ruraque Paeligno conspicienda solo,
nec quos piniferis positos in collibus hortos
  spectat Flaminiae Clodia iuncta uiae,
45 quos ego nesciocui colui, quibus ipse solebam
  ad sata fontanas (nec pudet) addere aquas,
sunt ubi, si uiuunt, nostra quoque consita quaedam
  sed non et nostra poma legenda manu,
pro quibus amissis utinam contingere possit
50 hic saltem profugo glaeba colenda mihi.
ipse ego pendentis, liceat modo, rupe capellas,
  ipse uelim baculo pascere nixus oues.
ipse ego, ne solitis insistant pectora curis,
  ducam ruricolas sub iuga curua boues,
55 et discam Getici quae norunt uerba iuuenci,
  adsuetas illis adiciamque minas.

51 *cf. Verg. ecl. 1, 76*

27 sty/igias **ABCs** *(cf. 1, 9, 17; 2, 3, 44)* scy/ithias **B** *(p. c.)* **leebl** || **29** urban(a)e **X** roman(a)e **pp** || **31** animo dulces **X** d. a. **d** || **33** Aque **A B le e** Aq̄ **C** Eque **s** Deque **bl** + Atque **d** | urbis **BC** ((ab) urbis) **leebl** urbes **A** || **34** peruidet **BC** *(cf. 1, 7, 43)* praeuidet **Aleebls** | illa **X** *(cf. 'ea cuncta' met. 6, 154; sed praeterea cf. 4, 4, 46 inf., ubi 'illa (mens)')* ipsa **d** usa **ea** || **35** Nunc ... nunc[3] **BClee** Hunc... nunc **bl** Tunc ...tunc **A** Nunc... tum **s** || **37** nunc **leebl** tunc **ABCs** || **38** euripi **BClee bl** (-pp-) erupi **A** || **44** clodia **ABC** claudia **le e bl** *(cf. Radke, RE Suppl. 13, 1973, 1628–1639)* || **47** ubi **As** ibi **BCleebl** || **49** possit **A** posset **BCleebl** || **50** Hic **Aleebl** H(a)ec **BC** || **51** pendentis **A** pendentes **Bleebl** prudentis **C** | rupe **B**[2] **lebl** rure **ABCes** || **54** curua **ABCbl** panda **lee** *(cf. am. 1, 13, 16)*

ipse manu capulum pressi moderatus aratri
  experiar mota spargere semen humo;
nec dubitem longis purgare ligonibus herbas,
60 et dare, iam sitiens quas bibat hortus, aquas.

unde sed hoc nobis, minimum quos inter et hostem
  discrimen murus clausaque porta facit?
at tibi nascenti, quod toto pectore laetor,
  nerunt fatales fortia fila deae.
65 te modo Campus habet, densa modo porticus umbra,
  nunc, in quo ponis tempora rara, forum.
Vmbria nunc reuocat, †nec non Albana petentem
  Appia feruenti ducit in arua rota.†
forsitan hic optes, ut iustam supprimat iram
70 Caesar, et hospitium sit tua uilla meum.
a, nimium est, quod, amice, petis: moderatius opta,
  et uoti, quaeso, contrahe uela tui.
terra uelim propior nullique obnoxia bello
  detur: erit nostris pars bona dempta malis.

IX

Cottae Maximo

Quae mihi de rapto tua uenit epistula Celso
  protinus est lacrimis umida facta meis,
quodque nefas dictu, fieri nec posse putaui,
  inuitis oculis littera lecta tua est.
5 nec quicquam ad nostras peruenit acerbius aures,
  ut sumus in Ponto, perueniatque precor.
ante meos oculos tamquam praesentis imago
  haeret, et extinctum uiuere fingit amor.
saepe refert animus lusus grauitate carentis,
10 seria cum liquida saepe peracta fide.

9 Cottae Maximo] *cf. ad 1, 5*

X = ABCleebl
57 pressi **ebl** prensi **ABCle** || 59 herbas **ABClee** arua **bl** + || **60** iam … quas **A BClee** quas… iam **bl** + || **62** clausaque porta **ABClee** portaque clausa **blba** || **63** nascenti quod toto **ABClebl** n. t. q. **l** q. t. n. **e** || **64** Nerunt **BC** *(ut uidetur)* **leebl** Norunt **A** || **67** petentem **X** potentem **s** || **68** in arua **Xs** *(p. c.)* in arma **s** ab urbe **ve**, *ed. Aldina 1516* || **69** hic **ABCle** hoc **e** + hec **bl** || 72 uela **ABCebl** lora **led** ((subtrahe) l.) || **73** nullique **BCe** nulli **A** nullis (… bellis) **lebl** || **74** erit **BCleebl** erat **A** | malis **BCleebl** *om.* **A** *(in ras.?)*
9 1 tua **Aleebl** nunc **BC** || **6** perueniatque **X** (precorque ne quicquam perueniat *satis dura ellipsi*) perueniatue *Bentleius* *uix* ne ueniatque*?*

nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis,
  quae uellem uitae summa fuisse meae,
cum domus ingenti subito mea lapsa ruina
  concidit in domini procubuitque caput.
15 adfuit ille mihi, cum me pars magna reliquit,
  Maxime, Fortunae nec fuit ipse comes.
illum ego non aliter flentem mea funera uidi,
  ponendus quam si frater in igne foret.
haesit in amplexu, consolatusque iacentem est,
20 cumque meis lacrimis miscuit usque suas.
o quotiens uitae custos inuisus amarae
  continuit promptas in mea fata manus.
o quotiens dixit 'placabilis ira deorum est:
  uiue, nec ignosci tu tibi posse nega.'
25 uox tamen illa fuit celeberrima: 'respice, quantum
  debeat auxilium Maximus esse tibi.
Maximus incumbet, quaque est pietate rogabit,
  ne sit ad extremum Caesaris ira tenax,
cumque suis fratris uires adhibebit, et omnem,
30 quo leuius doleas, experietur opem.'
haec mihi uerba malae minuerunt taedia uitae;
  quae tu ne fuerint, Maxime, uana caue.
huc quoque uenturum mihi se iurare solebat
  non nisi te longae ius sibi dante uiae.
35 nam tua non alio coluit penetralia ritu,
  terrarum dominos quam colis ipse deos.
crede mihi, multos habeas cum dignus amicos,
  non fuit e multis quolibet ille minor,
si modo non census nec clarum nomen auorum
40 sed probitas magnos ingeniumque facit.

iure igitur lacrimas Celso libamus adempto,
  cum fugerem, uiuo quas dedit ille mihi,

11 illis **ABleebl** istis **C** ‖ **15** me pars **ABCebl** pars me **le**, *Burmannus* ‖ **16** ipse **ABCbl** ille **lee** ‖ **17** funera **Aleebls** uulnera **BC** ‖ **19** est **ABCle** *om.* **ebls** ‖ **20** lacrimis **X** lacrimas **a**, *Hilberg* | usque **ABClebl** ille **e** ipse **fkkavc** ‖ **23** est **X** *om.* **s** ‖ **24** nega **BCleebl** negas **A** ‖ **25** celeberrima **ABCebl** creberrima **le** ‖ **29** fratris **ACle** ((sui*) f. *ut uidetur*) **ebl** ((mei) f.) fratres **B** (e *obsc.*) ‖ **30** experietur **BCleebl** experiatur **A** ‖ **32** caue **B** *(p. c.)* **leebl** caues **ABC** ‖ **33** solebat **B**[2] *(ex corr.)* **e** + uolebat **AB** *(?)* **Clebl** ‖ **38** quolibet **BCleebl** cuilibet **A** ‖ **39** non **X** nec *Burmannus* ‖ **41** lacrimas celso **ABCe** c. l. **lebl** ‖ **42** uiuo **ABClebl** *(cf. u. 56)* uiuus **dlmvt** *(cf. u. 24)* misero **e** (*fort.* uiuŏs *legendum*) | ille **ABClebl** ipse **e**

carmina iure damus raros testantia mores,
ut tua uenturi nomina, Celse, legant.
45 hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab aruis;
hoc solum est, istic quod licet esse, mei.
funera non potui comitare nec unguere corpus,
aque tuis toto diuidor orbe rogis.
qui potuit, quem tu pro numine uiuus habebas,
50 praestitit officium Maximus omne tibi.
ille tibi exequias et magni funus honoris
fecit, et in gelidos uersit amoma sinus,
diluit et lacrimis maerens unguenta profusis
ossaque uicina condita texit humo.
55 qui, quoniam extinctis, quae debet, praestat amicis,
et nos extinctis adnumerare potest.

X

Flacco

Naso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem,
mittere rem si quis, qua caret ipse, potest.
longus enim curis uitiatum corpus amaris
non patitur uires languor habere suas.
5 nec dolor ullus adest, nec febribus uror anhelis,
et peragit soliti uena tenoris iter.
os hebes est, positaeque mouent fastidia mensae,
et queror, inuisi cum uenit hora cibi.
quod mare, quod tellus, appone quod educat aer:
10 nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
nectar et ambrosiam, latices epulasque deorum,
det mihi formosa naua Iuuenta manu,
non tamen exacuet torpens sapor ille palatum,
stabit et in stomacho pondus inerte diu.

10 Flacco] *cf. Syme 74* || **6** uena] *cf. 1, 3, 10*

X = ABCleebl

45 possum **BCeblspp** possim **AC** *(? p. c.)* **le** | possu/im geticis **X** g. p. **pp** + || **46** istic **ABleebl** illic **C** | quod **X** quoi *Siesbye* (cui *Luck*) | licet **X** liquet *Heinsius* | mei *Némethy* meum **X** || **47** non **X** nec *Burmannus* || **48** Aque **lebl**[v] Atque **ABCes** Namque **bl** || **49** Qui **ABClebl**[v] Quod **ebl** || **50** omne **Xs**[v] ille **s** || **52** uersit *Heinsius (cf. 'tersi' et Probum, Gramm. Lat. 4, 38, 24 K.)* uertit **ABClees** fudit **bl** uergit *Gronouius (forma 'uerxi' traditur: Charis., Gramm. Lat. 1, 245, 15 K.; Diomed., Gramm. Lat. 1, 369, 13 K.)*

10 1 suo **ABCle** tuus **ebl** || **5** Nec[1] **X** Non **pp** || **12** naua **ABCs** gnaua **B**[2] grata **lee** graia **bl** + flaua **p**, *Jortin (cf. trist. 5, 3, 37)*

15 haec ego non ausim, cum sint uerissima, cuiuis
scribere, delicias ne mala nostra uocet.
scilicet is status est, ea rerum forma mearum,
deliciis etiam possit ut esse locus.
delicias illi precor has contingere, siquis,
20 ne mihi sit leuior Caesaris ira, timet.
is quoque, qui gracili cibus est in corpore, somnus
non alit officio corpus inane suo,
sed uigilo, uigilantque mei sine fine dolores,
quorum materiam dat locus ipse mihi.
25 uix igitur possis uisos agnoscere uultus,
quoque ierit quaeras qui fuit ante color.
paruus in exiles sucus mihi peruenit artus,
membraque sunt cera pallidiora noua.

non haec inmodico contraxi damna Lyaeo:
30 scis, mihi quam solae paene bibantur aquae.
non epulis oneror: quarum si tangar amore,
est tamen in Geticis copia nulla locis.
nec uires adimit Veneris damnosa uoluptas:
non solet in maestos illa uenire toros.
35 unda locusque nocent et, causa ualentior istis,
anxietas animi, quae mihi semper adest.
haec nisi tu pariter simili cum fratre leuares,
uix mens tristitiae nostra tulisset onus.
uos estis fracto tellus non dura phaselo,
40 quamque negant multi, uos mihi fertis opem.
ferte, precor, semper, quia semper egebimus illa,
Caesaris offensum dum mihi numen erit.
qui meritam nobis minuat, non finiat, iram,
suppliciter uestros quisque rogate deos.

15 cuiuis **B** *(p. c.)* **le** cuiuos **A** cuius **C** cuiquam **e bl** || **16** uocet **X** uocent **pn** putet **xf** || **17** is **ABCle bl** hic **e** + || **19** illi... has **ABCe bl** illas... huic **le** || **21** *(cf. prouerbium Anglorum 'he who sleeps, dines', sed uersum corruptum esse putat Riese)* || **22** inane **X** ut ante *Bentleius* || **27** sucus mihi **ABCle e** mihi sucus **bl** sucus iam **φ** | peruenit **ABCle** permanet **e bl** permeat **φ** || **30** quam **ABe bl** (*c.* paene *coniungendum, cf. Hor. carm. 2, 13, 21)* quae **C** quod **le a be pp** || **31** quarum **BCle e bl** quorum **A** || **35** istis **ABle e bl** illis **Cs** || **36** adest **X** inest **pp ba** || **37** H(a)ec **ABCe** Hoc **le mc** Hanc **bl** + Nec me **bl** | nisi tu **B** *in ras.* || **39** fracto **ABC** (f. estis) fract(a)e **bl v**[v] + fracti **le** fractis **e** fragili **v** || **43** meritam nobis minuat **X** min. n. mer. **p** || **44** quisque **X** usque *Riese*

LIBER SECVNDVS

I

De Tiberi triumpho

Huc quoque Caesarei peruenit fama triumphi,
languida quo fessi uix uenit aura Noti.
nil fore dulce mihi Scythica regione putaui:
iam minus hic odio est, quam fuit ante, locus.
5 tandem aliquid pulsa curarum nube serenum
uidi, fortunae uerba dedique meae.
nolit ut ulla mihi contingere gaudia Caesar,
uelle potest cuiuis haec tamen una dari.
di quoque, ut a cunctis hilari pietate colantur,
10 tristitiam poni per sua festa iubent.
denique, quod certus furor est audere fateri,
hac ego laetitia, si uetet ipse, fruar.
Iuppiter utilibus quotiens iuuat imbribus agros,
mixta tenax segeti crescere lappa solet.
15 nos quoque frugiferum sentimus, inutilis herba,
numen, et inuita saepe iuuamur ope.
gaudia Caesareae gentis pro parte uirili
sunt mea: priuati nil habet illa domus.

gratia, Fama, tibi, per quam spectata triumphi
20 incluso mediis est mihi pompa Getis.
indice te didici nuper uisenda coisse
innumeras gentes ad ducis ora sui,
quaeque capit uastis inmensum moenibus orbem
hospitiis Romam uix habuisse locum.
25 tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante
fuderit assiduas nubilus Auster aquas,
numine caelesti solem fulsisse serenum
cum populi uultu conueniente die,

1 *cf. trist. 4, 2. Tiberius triumphauit a.d. x Kal. Nou. anno 12 p. C. n., cf. A. Degrassi, Inscriptiones Italiae XIII ii, Roma 1963, 135*

X = ABCleebl
1 1 quoque **X** mihi **v**[v] || **7** Nolit ut **ABCle** Noluit **ebl** | ulla **l** + illa **X** || **9** cunctis **X** nobis **pp** || **12** uetet **BCe** uetat **lebl** uelit **A** || **13** iuuat **X** rigat **l** + | agros **BCleebl** arua **g** (ignibus) os **A** || **14** crescere **X** surgere **kc** || **15** herba **B**[2]**leebl** (h)erb(a)e **ABCs** || **16** s(a)epe **X** nempe *Heinsius, fort. recte* || **17** gentis *Heinsius* mentis **X** || **18** illa **ABCbl** ista **lee** || **19** tibi **Aleebl** tibi sit **B** (sit *sscr.*) **C** || **23** uastis **Aleebl** latis **BC** || **26** ad/ssiduas **ABleebl** assuetas **C** | nubilus **ABCebl** nubibus **le** + humidus **d** || **27** Numine **X** Lumine **lcoi** | fulsisse **X** luxisse **p**

atque ita uictorem cum magnae uocis honore
30 bellica laudatis dona dedisse uiris,
claraque sumpturum pictas insignia uestes
tura prius sanctis imposuisse focis,
Iustitiamque sui caste placasse parentis,
illo quae templum pectore semper habet,
35 quaque ierit, felix adiectum plausibus omen,
saxaque roratis erubuisse rosis;
protinus argento ueros imitantia muros
barbara cum pictis oppida lata uiris
fluminaque et montes et in altis proelia siluis
40 armaque cum telis in strue mixta sua,
deque tropaeorum, quod sol incenderit, auro
aurea Romani tecta fuisse Fori,
totque tulisse duces captiuos addita collis
uincula, paene hostis quot satis esse fuit.
45 maxima pars horum uitam ueniamque tulerunt,
in quibus et belli summa caputque Bato.
cur ego posse negem minui mihi numinis iram,
cum uideam mitis hostibus esse deos?

pertulit hic idem nobis, Germanice, rumor
50 oppida sub titulo nominis isse tui,
atque ea te contra nec muri mole nec armis
nec satis ingenio tuta fuisse loci.

29 magn(a)e **X** magno **vb** || **33** Iustitiamque **ABCle** Iustitiaque **ebl** *(cf. 3,6,25)* | sui caste **A** s** ***** **B** sui castos **B** *(p. c.)* **leebls** sibi **** **C** (*fuit* l*tc*?*) sui claros **p** sui caros **g** sui sanctos **ba** sui iustos **o** | parentis **AC** parentes **Bleebl** || **34** (Illa) qu(a)e **le ea**[v], *Scaliger ad Prop. 3,24,19* (Illo) quo **ABCebl** quod **ea** || **35** ierit **BC** *(?)* **leebl** terit **A** | adiectum **ABCebl** obiectum **le** adiunctum **er** || **36** roratis **ABC** *(?)* **ebl** rotatis **le** *(?)* **dn** iactatis **le**[2]**bl**[v] odoratis *Owen* (saxa) coloratis *Damsté* || **37** ueros **leebl** *(cf. 1,2,43; 3,4,106; met. 11,626)* uersos **ABCbl**[v] || **38** pictis **A** uictis **BCleebls** uinctis **vf** fictis *Heinsius* || **39** montes **AB** (e *ex corr.?*) **Clee bl** fontes **d** | proelia *Merkel* proflua **Xs** perflua **l** + pascua **o** + || **40** sua **AB** *(ex corr.?)* **Ce** suis **lebl** || **41** incenderit **bavf** incenderet **ACs** incenderat **B** *(?)* **lee bl** || **42** tecta **BCleebl** testa **A** || **43** captiuos addita collis **ABCebls** captiuis addita collis **lemb** captiuo subdita collo *Maas, ALL 12, 1902, 532* || **44** hostis **AC** hostes **Bleebl** | quot **B** *(i. m.)* **leebl** quod **ABC** *(?)* (*i. e.* quot fuit paene satis ut esset hostis *(= hostes) si hic locus est sanus*) || **45** horum **ABleebl** ho*m **C** hominum **g mb** | uitam ueniamque **X** ueniam uitamque **mb** || **46** bato **A** fuit **B**[2] *(in ras.)* **leebls** tenet **C** *(p. c.)* || **47** numinis **ABC** cesaris **e** + principis **lebl** || **49** Pertulit **Alebl** Ret(t)ulit **BC** Protulit **e** | hic **ABCebl** huc **le** + || **50** isse **ba l** esse **ACleebl** **B** *erasus, sed habuit* esse, *ut uidetur* || **52** loci **ABCebl** suo **le**

di tibi dent annos, a te nam cetera sumes,
  sint modo uirtuti tempora longa tuae.
55 quod precor, eueniet (sunt quiddam oracula uatum),
  nam deus optanti prospera signa dedit.
te quoque uictorem Tarpeias scandere in arces
  laeta coronatis Roma uidebit equis,
maturosque pater nati spectabit honores
60 gaudia percipiens, quae dedit ipse suis.
iam nunc haec a me, iuuenum belloque togaque
  maxime, dicta tibi uaticinante nota.
hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum,
  sufficiet nostris si modo uita malis,
65 imbuero Scythicas si non prius ipse sagittas
  abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
quodsi me saluo dabitur tua laurea templis,
  omina bis dices uera fuisse mea.

II

Messalino

Ille domus uestrae primis uenerator ab annis,
  pulsus ad Euxini Naso sinistra freti,
mittit ab indomitis hanc, Messaline, salutem,
  quam solitus praesens est tibi ferre, Getis.
5 ei mihi, quod lecto uultus tibi nomine non est
  qui fuit, et dubitas cetera perlegere.
perlege, nec mecum pariter mea uerba relega:
  Vrbe licet uestra uersibus esse meis.
non ego concepi, si Pelion Ossa tulisset,
10 clara mea tangi sidera posse manu,
nec nos Enceladi dementia castra secuti
  in rerum dominos mouimus arma deos,

2 MESSALINO] *cf. ad 1, 7*

X = ABCleebl

54 modo **ABleebl** tibi **C** | uirtuti **X** uirtutis **og** ‖ **55** eueniet **X** eueniat **m** + rueniet **s** | quiddam *Heinsius (cf. ars 3, 755; 3, 4, 18 infra)* quaedam **X** ‖ **56** Nam **X** Iam *Heinsius* | dedit **Aleebl** dabit **BC** *(cf. 1,2,90)* ‖ **60** ipse **ACbl** ante **Ble** usque **e** ‖ **62** nota **ABClebl** puta **e** ‖ **63** Hunc **C** *(?)* **leebl** Tunc **As** Nunc **B** ‖ **64** sufficiet **ABCle** sufficiat **ebl** ‖ **67** Quodsi **lee** Qu(a)e si **ABC** Q̧ si **bl** | tua **BCleebl** *om.* **A** tibi **d** | templis **ABClee** templo **bl** ‖ **68** Omina **ABClee** Omnia **bl** Carmina **pnvd**[v] **xf**

2 5 Ei **le** + O **A** OE **B** eͦi **s** (H)eu **ebl** *quid sibi* **C** *uoluerit dispicere nequeo*: O *secundum Lenz*, Ei *secundum André* | quod **C**, *Heinsius (cf. met. 1, 523)* si **B** *(p.c.)* **leebl** quid **AB** | uultus **B**[2] **leebl** ullius **A** illius **BC** ‖ **6** cetera **ABClebl** omnia **e**

nec, quod Tydidae temeraria dextera fecit,
  numina sunt telis ulla petita meis.
15 est mea culpa grauis, sed quae me perdere solum
  ausa sit, et nullum maius adorta nefas.
nil nisi non sapiens possum timidusque uocari:
  haec duo sunt animi nomina uera mei.
esse quidem fateor meritam post Caesaris iram
20   difficilem precibus te quoque iure meis,
quaeque tua est pietas in totum nomen Iuli,
  te laedi, cum quis laeditur inde, putas.
sed licet arma feras et uulnera saeua mineris,
  non tamen efficies, ut timeare mihi.
25 puppis Achaemeniden Graium Troiana recepit,
  profuit et Myso Pelias hasta duci.
confugit interdum templi uiolator ad aram,
  nec petere offensi numinis horret opem.
dixerit hoc aliquis tutum non esse: fatemur,
30   sed non per placidas it mea nauis aquas.
tuta petant alii: fortuna miserrima tuta est,
  nam timor euentu deterioris abest.
qui rapitur . . . .
  porrigit . . . . . spinas duraque saxa . . . . . .
35 accipitremque timens pinnis trepidantibus ales
  audet ad humanos fessa uenire sinus;

16 maius adorta nefas] *cf. Verg. Aen. 7, 386* || **33–34** *cf.* uitam ... quam multi sic complectuntur et tenent quomodo qui aqua torrente rapiuntur spinas et aspera *Sen. epist. 4, 5*

13 tydid(a)e **C** tydido **A** ty/itid(a)e **B** *(p. c.?)* **leebls** || **16** adorta **ABCle** adorsa **ebl** || **18** animi **X** damni *Riese* || **22** inde **ABCle** ipse **ebl** ille **d** || **23** mineris **AB leebl** minere **C** || **24** efficies **AB** *(p. c.)* **Clebl** (et...) efficias **e** efficiet **B** *(?)* || **26** my/iso **ABles** misso **C** *(?)* misero **e** teleph/fo **bld** || **27** uiolator **X** temerator **bb** || **30** nauis **X** puppis **kamc** + || **31** tuta^2 **AB** *(p. c.?)* **Cleebl** nostra **B**^{2}**bl**^{v} || **32** euentu **A** ((timer)e uentu) **BC** *(cf. trist. 1, 9, 16)* euentus **leebl** || **33** (α) qui rapitur **A** (β) qui rapitur fatis quid (nil **le**) pr(a)eter fata requirit (requiret **bl**) **B**^{2} *(i. m.)* **leeblsbe derlnv** + (**a**) qui rapitur spumante salo (freto **blerf**) sua brac(c)hia nanti (cauti **blf**) (campi **be**) (tendens **erl**) **blbederfl** *om.* **BClee** || **34** (α) Porrigit (ad *add.* **blbe derlnv**^{v}) (et *add.* **f**) spinas duraque saxa (manus *add.* **blbederlnv**^{v}) (capit *add.* **f**) **A blbederflnv**^{v} (β) S(a)epe creat molles aspera spina rosas **B**^{2} *(i. m.)* **leeblsbeder lv** + *om.* **BC** || **33** (β) **34** (β) **33** (α) **34** (α) *hoc ordine* **blbederl** || **35–38** *del. Merkel* || **35** Accipitremque timens **ABleebls** Accipitrem metuens **Cd** +

nec se uicino dubitat committere tecto,
quae fugit infestos territa cerua canes.

da, precor, accessum lacrimis, mitissime, nostris,
40 nec rigidam timidis uocibus obde forem,
uerbaque nostra fauens Romana ad numina perfer
non tibi Tarpeio culta Tonante minus,
mandatique mei legatus suscipe causam,
nulla meo quamuis nomine causa bona est.
45 iam prope depositus, certe iam frigidus aeger,
seruatus per te, si modo seruor, ero.
nunc tua pro lassis nitatur gratia rebus,
principis aeterni quam tibi praestat amor,
nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit,
50 quo poteras trepidis utilis esse reis.
uiuit enim in uobis facundi lingua parentis,
et res heredem repperit illa suum.
hanc ego non, ut me defendere temptet, adoro:
non est confessi causa tuenda rei.
55 num tamen excuses erroris origine factum,
an nihil expediat tale mouere, uide.
uulneris id genus est, quod, cum sanabile non sit,
non contrectari tutius esse puto.
lingua, sile: non est ultra narrabile quicquam:
60 posse uelim cineres obruere ipse meos.
sic igitur, quasi me nullus deceperit error,
uerba fac, ut uita, quam dedit ipse, fruar.
cumque serenus erit uultusque remiserit illos,
qui secum terras imperiumque mouent,
65 exiguam ne me praedam sinat esse Getarum
detque solum miserae mite, precare, fugae.

X = ABCleebl

38 Qu(a)e **X** Cum **pp** | infestos... canes **A²BCleebl** (lupos **blᵛ**) infestas...canes **Abbof** infesto... canes **A** infesto... cane **φ** || **40** rigidam timidis **X** t. r. **nod** | forem **X** seram **kcna** || **41** Verbaque nostra **X** Nostraque uerba **vf** | fauens **ABCle** fouens **ebl** || **45** (a)eger **X** (ager **C**) aegre *Burmannus* || **46** seruor **ABClebl** seruer **e** seruar **s** *(cf. 2, 1, 64)* || **47** Nunc **ABleebl** Tunc **C** | lassis **ABC** lapsis **leebl** classis **C** *(p. c.)* || **48** (a)eterni **X** aeternum (*uel* aeternam) (...praestet) *Heinsius* || **49** Nunc **ABlee** Tunc **C** Nec **bl** | tibi **X** mihi *Heinsius* | ad/ssit **ABC** *(p. c.)* **leebl** absit *cum* Nec *legere possis* || **50** poteras **X** poteris **pp** || **55** origine **ABCle** imagine **ebl** || **56** mouere **BCleebl** (tale)m uere **A** monere **p** + || **57** id **X** hoc **vf** | sit **ABClebl** est **epp** || **58** puto **X** putem **kc** puta **g** || **59** ultra **Aleebl** de me **BC** | narrabile **ABCebl** tractabile **le** sanabile **d** || **60** cineres *corruptum credit Riese* | ipse **X** ante **va** || **62** fac **ABCles** face **ebl** | ipse **ACleebl** ille **B**

tempus adest aptum precibus: ualet ille, uidetque
quas fecit uires, Roma, ualere tuas;
incolumis coniunx sua puluinaria seruat;
70 promouet Ausonium filius imperium;
praeterit ipse suos animo Germanicus annos,
nec uigor est Drusi nobilitate minor;
adde nurum neptemque pias natosque nepotum
ceteraque Augustae membra ualere domus,
75 adde triumphatos modo Paeonas, adde quieti
subdita montanae bracchia Dalmatiae.
nec dedignata est abiectis Illyris armis
Caesareum famulo uertice ferre pedem.
ipse super currum placido spectabilis ore
80 tempora Phoebea uirgine nexa tulit.
quem pia uobiscum proles comitauit euntem,
digna parente suo nominibusque datis,
fratribus adsimilis, quos proxima templa tenentis
diuus ab excelsa Iulius aede uidet.

85 his Messalinus, quibus omnia cedere debent,
primum laetitiae non negat esse locum.
quidquid ab his superest, uenit in certamen amoris:
hac hominum nulli parte secundus erit.
hanc colet ante diem, quam qua decreta merenti
90 uenit honoratis laurea digna comis.

felices, quibus o licuit spectare triumphos
et ducis ore deos aequiperante frui.

